

Vd
1137



f. 4



h. 45, 3

Vd
1137

EXAMEN CAUSARUM,

Quas

Copiarum Saxonicarum, uti vo-
cantur, Dux improvisæ & subdolæ in Li-
voniam irruptioni prætexere, literisque suis
divulgare voluit.

MDCC.



112, 1

114

EXAMEN CAUSARUM

Consilia callida & audacia, prima
specie læta, tractatu dura, eventu
tristia sunt. Liv.

MDCG





Uam consiliorum viam hactenus institissent Svionum reges, quique eorum fuisset animus in conservanda orbis Christiani tranquillitate, non illis, qui publica gentium acta examinare penitus solent, obscurum esse confido; neque eorum quenquam tam injustum fore rerum aestimatorem, ut, secum reputans insignem istorum operam in restringendo atrocissimo illo, quo Europa nuper flagrabat, bello, tum constanter cultam cum vicinis populis pacem ac amicitiam, eos libidine vexandi alios arsisse dixerit, aut insolentioris facti, novae belli flammam excitaturi, arguerit. Qui nuper defunctus est, rex longiori vitâ utique dignissimus, cum superiori bello tot inuictatæ virtutis documenta dedisset, ut rei militaris gloriâ facile omnes suæ ætatis antecellere judicaretur: adeo tamen a profundendo humano sanguine abhorruit, ut lacescitus quorundam injuriis invitante opportunitate summâ, quæ victoriam ac successus polliceri videbatur uberrimos, pacem tantum non injustam justissimo præferret bello; & magna animi moderatione controversias, quæ forte subnascebantur, rationum pondere, quam gladiatorum acie desceptare mallet. Hausit hoc quoque ex indole divi parentis, qui hodie rerum potitur, filius augustissimus, ut pacem illacescitus nutrire firmiter sibi in animum induxerit: & sicut auspicia habuit lætissima, conciliata inter principes Christianos pace ac concordia, adeoque tam memorabili facto regni sui primordia nobilitavit: ita nihil habuit antiquius, quam illorum, quibuscum vetus regno suo conjunctio erat ac necessitudo, amicitiam sibi pignerari, & quantum valeret, summa ope anniti, ut alendis simultatibus omnis materia præcideretur. In regem autem, regnumque Poloniae, eo propensiori studio ferebatur, quod magna cum eo pactorum obligatio esset, & extincta stirpe Valsorum simul omnis disfidiorum causa, qua utraqve gens aliquando collidebatur, sublata atque funditus extirpata videretur. Proinde nullum officiorum genus omissum est, quod ad benevolentiam testandam, fidemque sinceræ vicinitatis

corroborandam conducere existimaretur: neque rursus patratum quidquam, quod regis Reipublicæque Polonorum offensionem provocare, multo minus pacem Olivensem, tam solenniter sancitam, tam luculentis legibus comprehensam, tanta denique sponforum auctoritate munitam, labefacere paulum, & omnino convellere idoneum esset. Non potuit igitur non magno animorum motu accipi, ab isto latere, unde pacata omnia & amica sperabantur, subdole ac improvise in Livoniam irrupisse exercitum, & oppressis armata manu limitum custodiis, munimenta ac castella vi aut astu occupasse, Rigamque totius regionis caput, eo necessitatis compulisse, ut ad arcendam ab ipsis mœnibus vim ac impetum, suburbana elegantissima, quæ ingenti sumtu ad usum atque amœnitatem exstructa erant, subjecto igne, deureret: spe vero capiendæ per insidias urbis depulsum, agros ferro flammaque late pervastasse, sollicitatis ad rebellionem ac perfidiam incolis, & cæsis, aut abductis, quos in fide permansturos apparebat. Etenim cum de hac incursione rumor aliquis Holmiæ emanarit, initio plerisque ab iis fictus credebatur, qui consilia Svionum libenter voluissent disturbata: sed cum certi nuncii adferrent, ab istis copiis, quæ Saxonum appellatione in Lithuania aliquandiu oberraverant, provinciam hostiliter diripi, & nihil non exerceri, quod immanissimi belli speciem referret; adhuc tamen ignorabatur, cuius auspicio tam atrox facinus susceptum esset. Neque enim a parte regis, aut serenissimæ reipublicæ Polonorum, ulla expostulatio, aut querela, excepta est, quæ levem frigoris, nedum belli præberet suspicionem. Quos, si cuncta illius, quod a pacificatione Olivenfi ad nostram usque memoriam patet, temporis acta recognoscant, si solcite etiam excutiant omnes latebras, unde in bellum prurientibus prætextus solent depromi, nullam apud Sviones infractæ istius pacis culpam existare, haud ægre, qua sunt animi magnitudine ac æquitate, confessuros esse crediderim. Certe obfuisse reipublicæ Polonorum incrementis Sviones, aut temporibus insidiosos esse, ut dubia eorum fortuna ad quæstus & compendium uterentur, nunquam reperient: quin potius afflictis eorundem rebus bona fide indoluisse atque amicæ gentis incolumitatem; haud aliter ac suam, cordi habuisse, ex multis &

non



non obscuris documentis intelligent. Ita enim semper judicarunt, hocque persuasissimum sibi habuerunt Sviones, expedire utrisque quam conjunctissime vivere, omnia consilia sua ad mutuam defensionem utilitatemque consociare, quod utriusque regni conditio sit, ut, propter vicinorum potentiam, unius securitati minus bene sit prospectum, cum alterius salus in discrimen vocetur. Et quanquam existimare potuerant Sveci, non parum sua interesse, quis tam validæ ac vicinæ nationis gubernaculum capefferet; nunquam tamen fas putarunt alienis sese curis immiscere, ut in regibus eligendis Polonorum animos ad eam partem, quam sibi credidissent fore proficuum, suasu ac cohortatione impellerent; neque ut id facerent, ambientium precibus & lautis quantumvis conditionibus adduci poterant. Idque cum aliàs, tum nuper incorrupta fide præstitum esse non gravate ipsi meminerint, cum, scisis in contraria ordinum studiis, neutri se factioni associassent, sed ut illibata atque integra staret suffragiorum libertas, omni ope atque voto contendissent. Quod si hunc animum in rempublicam gessissent Sveciæ reges, si ipsi quoque Poloni non pauca mutæ benevolentia pignora exhibuissent, quis eorum regna non stabili amicitia conglutinata esse speraret, aut infestam ab ea parte viciniam metueret? Sed, uti par est, credimus persistere in antiqva fide ac benevolentia Serenissimam Polonorum rempublicam, atque ignaram, expertemque fuisse omnium, quæ nequiter ac perfidiose in Livonia facta sunt: at vero ipsum regem quæ res tantopere a Svionum amicitia alienavit, quæque injuriarum species ad tantam violentiam incitavit? Nisi forte ex serenissima domo, unde oriundus, conceptum in Sviones odium in regnum remque publicam Polonorum introduxerat. Atqui vetus cum illa domo Sveciæ necessitudo intercesserat, cum multas ob rationes, tum fœderis Vestphalici causâ, quam non interruptis officiis invicem excultam esse atque stabilitam, neque tanti temporis tractu unquam refrixisse constat. Sed cum Polonorum diadema ambiret, indignationem ejus in se converterant! Si ad electionem regis parum operæ contulissent Sviones, an propterea obstitisse dicendi sunt? quod ab ejusmodi consiliis, quæ comitiorum libertatem tollerent, vel labefactarent,

quam

quam longissime se removeere statuissent: turbis vero, quæ electionem insecutæ sunt, sese immergere ad pervicaciam alterutrius sectæ alendam, cum jam summa rerum esset confusio, non fas, aut utile, judicassent. Regnum autem adepto tantum abest, ut ullum honorem, qui regi atque amico haberi solet, ipsi denegaverint, ut, misso legato, tantos fortunæ auctus gratulati sint, benevolentiamque omnem prolixius detulerint. Quæ gratisima sibi fuisse non ipse dissimulavit, cum superiori ætate Galetscium, e senatorio ordine, in Sveciam ablegasset. Quin tum per eundem, & postea cum Legato regis Sveciæ, Vellingio, qui ad aulam ejus commorabatur, de arctiori cum Svecis fœdere ineundo, quod ad utriusque partis securitatem & ornamentum spectaret, agere non dubitavit, ejusque conditiones scripto comprehensas in Sveciam transmisit: ut hoc velut certissimo argumento illorum innocentia illustraretur; alterius vero partis perfidia, quam jam tum altissime animis defixam habebat, detestabilior omnibus redderetur. Quamvis autem ipsam Polonorum rempublicam hoc fœdere, quo excludebatur, complecti simul rex Sveciæ præoptasset; non tamen cum rege, tanquam Electore Saxonæ, si in sententiâ perstitisset, propiori societatis vinculo jungi recusavit. Verum, ut mox compertum est, non id tum agebatur. Hac scilicet plus quam Punica versutiâ Svionum animos ab immanitate consilii, quod jam secreto coquebatur, avertere visum est, ut incautos, & velut Sirenum cantu sopitos, mox elideret, & uberiores fraudis mercedem nanciscereur. Interea non hoc se sine injuria continet: adhibentur aliæ artes, nescio an magis decoræ. Quo enim Svecicum nomen magis foret invisum, inque gravius apud alios principes odium veniret, in aulâ Cæsarea per ministros vecordes ac impudentes, tradebatur, cum regibus Galliæ & Poloniæ fœdus adversus domum Austriacam Sviones quærere: apud Christianissimum regem, eosdem cum Cæsare & rege suo contra ipsum consilia infesta communicasse. Quamquam hæc calumnia falsissima deprehensa est, & ipsa veritate dudum discussa: varium tamen aulæ istius genium, & ad fraudes acutum, satis manifestabit. Sed remissius paulo loquamur: reverentius etiam lentiamus de eo, qui sanctissimum in terris nomen gerit, & summo

summo rerum humanarum apici impositus est: quæramus, si fieri possit, qualemcunque colorem tantæ turpitudini obtegenda. Neque enim credibile est, tam degeneres dolos in istam animi celsitudinem cadere potuisse, ut, rupto humanæ societatis vinculo, atque amicis & innoxis per summum nefas & execrandam cultioribus populis perfidiam, deceptis, maculam, nulla ætate eluendam, famæ suæ inurere voluerit. Suspiciemur non justam regi Poloniæ defuisse causam invadendi Svionum provinciam, ut, si non suas, sociorum tamen injurias ulcisceretur. Hic vero primum scire velim, quem ejus foederatorum Sviones violaverant, ut contra hos tantam sanctam illi operam ferret? Cum nullo vicinorum istis inimicitia, nedum bellum est: controversia, quæ cum aliquo forte orta est, ut amica ratione componatur, nondum spes omnis decollavit. Insolens autem & inauditum est, foederatos bellum inchoare: quiescere ipsum, qui ab illis auxilium stipulatus est. Ut causam sociam promoveas, ut pertinaciam adversarii frangas, æquasque condiciones respicientem vi adigas, liceat in promptu habere, liceat ostentare arma: inferre ea, cum socium nondum alter lacestat, & quamdiu conciliationi locus est, præposterum habetur & rationi adversum. Quamquam cur eò labimur, ut tegumentum huic flagitio quæramus? Cum neque hanc, neque ullam omnino causam inceptis suis prætexere eateus voluit, ut, quod nefarie ab eo susceptum erat, bellum saltem, non latrocinium dici posset. Securus famæ, securus odii, quod ob inauditam perfidiam apud Deum hominesque incurreret, pergit, quo estrenata eum rapiēbat cupiditas, & ne denunciato quidem bello, cujus suscipiēdi causam non habuit, cohortes domi omni flagitio imbutas, adque cædes ac rapinas jam longo usu exercitatas, in provinciam justis præfidiis nudam, & ut in summa pace, nullius mali timentem, subito effudit, ut, quam vastitatem suis in regionibus fecerat, alienæ provinciæ clade & exitio restingveret. Et ne quid ad summam indignitatis deesset, infames aliquot, & propudiosi homines, in societatem tam præclaræ expeditionis adsumti, quorum antesignanus Patkulus quidam, proditore patre genitus, ut gentilitium dedecus novo scelere propagaret, populares suos, quod & antea tentaverat, ad rebellionem con-

sita-

citare in se recepit. Quis tamen crederet in hoc latronum grege hunc solum inventum fuisse, cui major paulo, quam reliquis, famæ cura esset? Sacerrimum hoc caput, quod carnificum manibus, & debitis nequitiae suæ pœnis, fuga quondam eripuit, ut huic militiæ non modicum aliquando decus accederet, adeo omnis pudoris sensus non destituit, ut, nefariis licet conatibus titulum aliquem prætendendum esse, insanissima etiam mente non perspiceret. Hic igitur nebulo, cujus consilio totum hoc negotium agebatur; invenisse se ratus, ubi illam suam præclaram sapientiam ostentaret, Paikelum suæ nationis hominem, & desertorem, qui tunc copiis hisce præerat, impulit, ut, missis ad illustrissimum senatorem & comitem, Dahlbergium, qui regioni ac urbi præsidet, literis, primus causam, si Diis placet, aperiret. Nimirum ne dubitare quis posset de justitiâ illius belli, quod perduellis promulgasset; tum ut hoc indicio constaret, quos viros sacramento adactos haberet rex Poloniae, quorum duces flagitiis ignominiosisque confecti & cooperti essent. At proditori ac rebelli, qui honestatem dudum omnem consumserat, tam furiosa in mentem venisse multis fortasse mirum non videbitur: comminisci enim tantisper quædam necessum habuit, cum vera non suppeterent: Flemmingium vero, extraneum, inconsulte ac temere istius dementiæ accessisse intolerandum nimis est, & sempiterno probro dignissimum. Nam in castra, quæ in Samogithiæ oram Lithuania evomuerat, reversus, cum matura jam consiliis suis cuncta invenisset, nugas hæc, insulas licet & ridiculas, tanti fecit, ut non modo in argumentum nefarii belli arriperet, verum & typis divulgari permitteret. Invidisse adparet alteri inventionis gloriam: &, ut palmam præsaltatori suo dubiam faceret, quæ impurissimo cerebro hic procuderat, non minori vecordiâ proseminavit ipse dux & caput. Tantus stupor, an insania, hunc hominem invasit, ut auderet sperare, quæquam fore tam stolidum, ut crederet, aut tam improbum, ut facinus teterrimum, & cunctis seculis despuendum, non abominaretur; neque videret, eo latius fœditatem ejus spargi, quo sollicita magis defensione agitetur. Non contemptim adeo de nostra ætate judicari oportuit, quæ, cum ad abstrusissima quæque detegenda satis ingeniosa sit, ad tam clara, & in aperto posita, cæcutiret: neque

que tam sterilis est virtutum, ut in hac morum corruptelâ, non plurima pulcerrimaque honestatis & probitatis nomina proferat. Itaque istius facti turpitudinem sine dubio perspicient, qui jam sunt, homines, & execrabuntur: posteritas etiam inter eminentissima summæ perfidiæ ac versutiæ exempla, quæ nostrum seculum infamarunt, allegabit & reponet. Nec magis attineret vomicam istam fodere, cujus purulentia & spurcissima sanies contemplantium oculis satis pellucet, nisi effrons adversariorum malitia eo usque processerat, ut in prave cœptis honestiorem pertinaciam judicaret, quam pœnitentiam, scelusque manifestissimum mentito colore inducere satageret: prorsus quasi non suffecerit violasse gentium jura, conculcasse sanctissima pacta, adeoque nefando se flagitio obstrinxisse, nisi, quæ perfide sunt patrata, impudenter etiam defendantur. Atque hætenus operæ pretium fuerit, fæditatem hujus rei, sublato velo, in adspæctum hominum lucemque paulisper exponere, ne simplices, quibus series rerum minus est perspecta, præstigiis horum delusi, seqvius judicent: tum ut intelligant cuncti, quantum fidei istis hominibus in posterum sit tribuendum, qui contempta honesti cura, jus fasque omne suæ postponunt libidini.

Itaque, adulta jam perfidiâ, cum facinus, quod cum animo suo statutum atque deliberatum diu habuerat, exsequi placuisset, castra ad Janiscam, non procul limite Curlandiæ sitam, admota sunt. Inde ad III Nonas Febr. missa ad præfectum Livoniæ epistolâ, arrogantia & stomachi plenissima, indicat: *Displicere sibi, & suspectas valde Svionum actiones esse, quod tanquam metu alicujus irruptionis tantos faciant apparatus. Haud enim aliter ac si hostis ad portas esset, ex propugnaculis & vallibus turbis hastas, falces, ferratasque protendi clavas: plura versus partem, quæ Curlandiam spectat, per muros tormenta disponi: majores solito vigilias, agi, oppidanis etiam ad arma vocatis: stationes equitum limiti prætendi: & Rigam commean-tes, præsertim duces militares, qui e castris Saxonum venisse comperiuntur, diligentius excuti observarique: quin & emissos, qui hiberna eorum specularentur: quodq; indignissimum esset, ab excubitoribus limitaneis prohibitos esse, qui desertores per solum Livonicum persequerentur. Similia & prorsus gemina literis, quas ad regem Poloniæ fingere placuit, Flemmingius, octiduo interjecto, perscripsit; & quoniam hæc fortassis jejuna minis & fri-*

storq

B

vola

vola ipsi videbantur, putidissimo mendacio, quod ei puppis ac prora
esset, eadem fulcire voluit: Minitabundos jactasse Suecos, se accitis quamprimum
in Finlandia, Carelia, & Estonia majoribus copiis, hiberna Saxonum in Lithuania
adorturos: ideoque prudentis esse, antequam hæc manus coiret, tam infesta molientes
occupare, locaque præfidiis idonea insidere, unde bellum, quam longissime posset,
a finibus regni arceret, sedemque ejus potius in eorum, qui prius lacesiverant,
provincia locaret. Qua propter hæc postrema sufficere judicavit, quæ
diplomatum, per Livoniam mox disseminandis, infererentur. Hæ
causæ sunt, quas justo huic ac necessario, si Diis placet, bello præten-
dere non dubitavit, digniores profecto, quæ orco & perpetuis obru-
erentur tenebris, quam ut, cum seculi nostri infamia, in lucem ac ora
hominum protruderentur: Sane boni omnes dolebunt ac indigna-
buntur in tanta luce elegantiorum morum prodi exempla, quæ prisca
barbaries ignoravit, Christi que nomen & sacra profitentibus sanctis-
sima jura tam proterve haberi, quæ summa religione colunt & obser-
vant gentes immanissimæ. Sed adeo in hisce hominum portentis
ratio obbrutuit, ut ausi sint sperare tam inficetas se calumnias orbi ad-
probaturos esse, quas non sine contemptu & irrisu generis humani pro-
palasse eos certum est. Quin & aliorum principum auxilia exposce-
re non verentur, quorum tamen omnium non minus, quam illo-
rum, qui læsi sunt, summopere interest, facinus hoc quam severissi-
me vindicari, ne contagionem ipsa spes impunitatis latius agat. Nam
cum omne fœdum exemplum societati hominum nocet, tum illud
longe est nocentissimum, quod ipsum societatis humanæ vinculum
tollere docet. Tum verissime a veteribus traditum est, totius injus-
titia nullam esse capitaliorem, quam eorum, qui tum, cum maxime
fallunt, id agunt, ut viri boni videantur. Verum ne partium causæ
velificari videar, age, excutiamus ipsas viri rationes, an quid sani con-
tineant, quo tam immane factum excusari possit,

Initio offensum se Svionum metu non dissimulat Flemmingius.
Qui enim sic ad custodiam urbis advigilant, diffidentiam quandam
& infestum in copias Saxonicas animum satis manifestare. Per Deum
immortalem! quid unquam insulsius dici potuit? Quæ injuria un-
quam contumeliosius illata cuiquam est? Quid ad pervertendam
generis humani societatem, & bellum quoddam omnium in omnes
profe-

profeminandum aptius? An vero unquam fando auditum est, ju-
stam inde alterum invadendi causam nasci, si se resque suas arcti-
ori sepeferit custodia? Quid tutos posthac ab improborum ausu nos
præstabit, si crimen erit in vasoribus non præbuisse jugulum, nos
nostrasve fortunas non eorum permisisse libidini? Nam securos, &
incautos, cum libuerit, oppriment: In sui defensionem intentos et-
iam jure poterunt. Gratuletur sibi furum ac latronum natio tam
strenuum patronum, tam mitem æquumq; judicem, qui causam e-
orum non proletariis argumentis defendendam suscepit: cujus sen-
tentiâ impune licebit domos effringere & diripere, si diligentior
paulo pater-familias januam observaverit: si, appropinquante gras-
satorum manu, vigilias intenderit: si ante vestibulum non præsto-
latus, patentibus portis tam gratos hospites intromiserit. Nempe
injuriosum videbitur, fidem viris non haberi, quod sperari posset,
postquam vicini ædes compilaverant, tam puras innocuasque ma-
nus a meis abstinere velle fortunis: injuriosius longe erit, si arma
adversus subita tumultus comparata habeam. Itaque si manipulum i-
stum prædonum interrogavero, quare me infestatum veniant, re-
ctissime respondebunt, quod eorum probitati subdiffidere visus sim,
fores occludendo, ac comparando, quæis licentiam grassatorum,
si quando irruerint, retundere quæam atque compescere. Si ulte-
rius instem, quare a meo se non longius amoveant domicilio, ut
mihi timere non sit necessum? Credo, rectissime etiam reposituri
sunt, sibi prædâ vivere adsvetis illuc quoque licuisse accedere. Ap-
posita responsio, mehercule, & latronum acumine dignissima! Non
ovum ovo tam simile, quam horum moribus ducis nostri ratioci-
natio. Stomachatur vir Sviones in sua urbe excubias paulo inten-
tius agere, armaque adversus hostilem impetum expedita habere:
cum nemini, nisi vim intentanti, periculum inde impenderet. Ubi
instrumenta quoque, quæ hosti mœnia subeunti opponi solent, ridi-
cula exaggeratione recenseri vides: tanquam & hoc armorum ge-
nus adhibuisse, non impetrata Saxonis veniâ, piaculum esset, Cavil-
latur etiam tormenta Curlandiæ obversa esse: quasi ad sua castra,
quæ totius provinciæ interjectu, ab urbe Rigensi dirimebantur, te-
lorum jactus pertingerent, Satis loci intercapedine tutus esse potuit

nugator, nisi immani quadam feritate nimium vilis ei cruor humanus esset, ut pecudum instar mactandos iræ propugnatorum milites objiceret. Quod si intentior munitorum locorum custodia ansam belli dat, quis ea non damnabit? aut si retineat, ecquando formidinis expers erit, cum tot fontes bellorū recudi possunt, quot loca quisque populus præfidiis tenuerit? Sed vereor, ne surdis eorum auribus, qui arces præsertim limitaneas ab inopino hostium incurſu salvas cupiunt, hæc præcepta novus doctor canat, cum omnia belli jura, quæ inter gentes usus & ratio constituerant, pervolventi nondum occurrit ullum, quo munitiones quisque suas armis excubiisque firmare vetatur, ni justam alterius iram in se convertere velit. Equidem ob levissimas sæpe causas atrocita bella exarsisse memoriæ proditum est: ridiculas magis obtentui sumtas, nondum legimus. Prorsus veterem lupi fabulam instaurari videmus, oviculæ turbati fluminis calumniam intentantis, quamvis e superiori ripâ ipse biberet. Verum hostilis indicium animi erat injustus timor. Neque enim odisse non potest, qui timet. Quievissent a bello Saxones, nisi intempestiva Svionum diffidentiâ fuissent irritati. Nimirum nulla omnino causa Svecis erat, non plurimum fiduciæ in continentia eorum collocandi, qui totam Lithuaniam, quam a vastatione defenderent, misere perpopulati sunt: quibus victus nullus, nisi ex rapinâ: qui ob prædationes & violentiam, cocunte tandem incolarum manu, in ultimam Polangia oram ejecti sunt atque exturbati. Vitæ scilicet genus mutaverant, & sanctius agere decreverant, postquam pudenda omnium rerum penuriâ ac nuditate conflictari cœperunt, cumque iis consilia miscere, qui rem Svecicam vexare & perturbare cupiebant: præsertim cum opima in propinquo præda ostentaretur, fauces enectas, & diutina fame araneantes, nova libidine facile proritura. Nihil igitur de eorum fide suspicari oportebat, qui non jam musitabant, ut antea, sed aperte & jactanter vociferabantur, se regi Danorum suppetias latum ituros. Quamquam autem cum isto rege nulla Svecis inimicitia erat: eo tamen res spectare cœpit, ut non diu temperaturus ab injuriis videretur, si aliorum auxilia concire potuisset. Quid si eos consideramus, qui in commilitium adsciti, jam tum non modo iisdem castris continere-

tinebantur, sed & summæ rerum præerant? Cum in hæc, inquam, castra sentina quædam perditorum civium confluxisset; cum par- ricidæ, flagitiosi, perduelles iisdem, tanquam sanctissima arâ, reci- perentur, cum rotâ & eculeo fragendi, ad honorata ministeria pro- ducerentur; cum præcipuum in consiliis locum tenerent, quos con- scientia scelerum implacabilis patriæ reddidisset: Svionum securita- ti optime tunc prospectum quis non intelligat? Non ignotum erat, quid cum horum latronum principe in aulâ regis poloniæ agitabatur, qui cum furiis suis & metu ultimi supplicii exagitatus, nusquam loco- rum tuto subsistere posset, invenit tandem asylum, ubi non tantum in- violabilis & sacrosanctus esset, verum etiam latentem animi pestem produceret. Istius furoris maturitatem in hoc tempus erupisse quis non videt? obstetricis vicem fungente Saxone, & pias manus suppo- nente, ne monstrum teterrimum, & aruspicum lustrationibus expian- dum, in ipso ortu elideretur. Hoc præcursore & emissario cum ad quosdam principes, tum præcipue ad sollicitandam popularium fi- dem, uteretur; hanc profligatisimorum hominum circum se, tan- quam stipatorum, catervam cum haberet; hæc probra & dehonestâ- menta militiæ suæ cum adscriberet, dubitare quisquam posset, quid animo intenderet? Eventus ipse comprobavit non fuisse vanum, si qui fuit, Svionum timorem. Enim vero cum prudens diffidentia salutare bonis omnibus censetur munimentum; rectius longe Svio- nes rebus suis consulisse opinor, si timorem quendam aluissent, ne- que innocentiam suam, & pactorum sanctimoniâ, confisi, securius paulo egissent, & blanditiis Saxonis, ac fallaci lenocinio, tam faciles credi- dissent. Si quid peccatum ab iis sit, in hoc fortassis argui possunt, quod nihil timendo nascens malum corroborassent, & sicariis istis nudam- latus, quâ maxime ad idus patuit, ex insidiis fodiendum præbuissent. Non direptam crudeliter nobilissimam provinciam dolerent hodie non munitissima castella expugnata viderent, nisi astutissimæ simula- tionis artificio in soporem quasi resoluti fuissent. Cum monstri quid ali ab amicis monerentur, tantus erat gentis candor, ut alios ex suo reputaret ingenio: atque, ut frangere fidem, privato turpe, prin- cipi etiam nefarium ac abominandum fuerit; ita amicum & propin- quum regem tam gravi suspitione onerare non sustineret. Quam- diu

diu vim non intentabant copiæ ejus, intraque s̄vetam se cohibebant regionem, nihil ad se pertinere Svecus putabat, quibusnam ex agris Lithuaniz prædas convectassent: satis habebat providisse, ne in suos fines vaga aliqua & populabunda manus excurreret. Tandiu ultro citroque comitantibus non modo aditus patebat, verum etiam familiaritas. Cum nulla fere dies abiret, quin ab exercitu Rigan ventitaret aliquis, mercatus vel aliorum negotiorum gratiâ; cuius honor, atque ea officia, quæ peregrinis & amicis exhiberi jubet humanitas, non gravate sunt præstita. Nulla tunc querela audita est, & ne suspicio quidem alienati animi, multo minus, quod bellum tam subitum & atrox excitare posset. Quam igitur nequiter ludat, qui habitos asperiori modo advenas objicit, jam puto omnes intelligere: nec diffiteri poterit ipse eorum dux, qui Rigenibus pro exquisito cultu, quo eum exceperunt, hanc gratiam refert, ut eorum urbi everisionem & extremum minitetur excidium. Quam profuisset hospitis fidem ita tunc degustasse, quam nunc sævitiam ejus summo suo dolore cognoscunt! Nemini Svionum de exploratoribus queri tunc in mentem veniebat, cum integer corycæorum exercitus in foro, in ædibus, in templis, in vallis & propugnaculis urbis circumcursetaret, cum eorum ducem sinu suo, & intra mænia, foverent: qui, quæ est immanitate, opportuna urbis loca oculis notasse, & incendiis ruinisque jam tum designasse perhibetur. Atqui eidem piaculum est, totius urbis & provinciæ excidio eluendum, si quis e Livoniâ viator loca stativis suis vicina transisset: illum & comilitones suos munitam Svionum urbem frequentasse, pro beneficio venditabitur. Adeo ab hominibus, libidine sua efferatis, sani quidquam frustra expectaveris! qui, quod apud moratos populos, quos inter pax est & amicitia, sine nota inhumanitatis non denegatur, quodque ipsi facere non erubuerunt, etiam illis ipsis diebus, quibus expeditionem hanc funestam suscipiebant, in violatæ pacis crimen detorquent. Piget commenta hæc refutare, absurdiora certe, quam quæ febricitans somniare posset: & nescio annon multis videatur supervacaneum, nugis hisce diluendis vel unum verbum impendisse. Mihi enim perivasisimum est, neminem, cui mica sanæ mentis superest, non putidam hanc calumniam videre:

dere:



dere: neq; adduci possum, ut credam ipsos illos fabulæ hujus insipi-
disimæ auctores, quamvis strenue frontem perfricuisent, erio hæc
tradidisse; verum ut specimen ederent, tam sibi proclive esse verbis
orbem ludificari, quam immerentes fallaciis turpiter circumvenire.
Sed reperisse aliquid sibi visus est nugator, cum desertores receptos
objiciat: quod mirum in modum verbis exaggerat, ut inde Svecos non
modo hostilem induisse animum, sed ipse facto eum exeruisse probet.
Qvis enim posthac dubitabit non justa arma esse suas res repetentiū?
Quid enim e fuga retrahere cupientes prohiberent, qui ad limitem
erant equites? Miror, ut ad fingendum est ingeniosissimus, non dixisse
a Svecis ad transfugia etiam sollicitatos esse: quemadmodum ipse
ad defectionem perfidiamque qua minis, quâ promissis Livonos per-
ducere annititur. Enimvero an lex dimachæ, tot enim fuisse perhibet,
fines Livoniæ ingressi sint, adhuc ignoratur. Sed finge intrasse, quos ad
signa deserenda longa esuries compulerat, an ideo præsidia Svionum
perumpere vique profugos abstrahere Saxoni fas erat? Non inter
privatos id juris est, ut, effractis vicini ædibus, erronem servum ab-
ducere liceat: qui te cum telo venientem si limine tectoque prohibe-
at, injuriæ, puto, tenebitur: cum ei non satis cautum sit, quatenus,
cum admissus fueris, tua progressura sit licentia; & ni receptator re-
stituat sponte, alia viâ ad reddendum cogi possit. Principi longe
sublimius esse jus nemo sanus unquam negaverit; cui immane quan-
tum periculi infidiarumque maneret, si armatas cohortes immittere,
inque territorio suo constituto manus injicere, & quovis prætextu
vim adferre alter posset. Nondum quisquam repertus est, qui jus
hoc omnium populorum consensu receptum, omnium sapientum
traditione adprobatum, ipsaque naturâ insitum, improbo ausu sollici-
taret, præter unum latronem, cujus insania majorne, an stupor in-
certum est; nedum ut inde causam belli arcefferet. Sicut igitur ad
tutelam suam opemque confugientes recipere, jure gentium non
prohibetur princeps, ita receptos tantisper tuendos esse, aut custodiâ
asservandos, donec de causa eorum cognoscatur, & humanitas sva-
det, & ratio postulat. Qui enim scire possis, quo animo accesserit
profugus? annon jussu ejus, cujus odium præfert, ut occultato dolo
nocendi occasionem caperet, aut reversus, quid rerum alibi geratur,
causa.



enunciet. Tum demum querelæ locus fuerit, si ad pœnam de poscen-
tibus non dedatur. At vero famelicos, qui profugisse dicebantur,
num interpellatus præses provinciæ, si qui forte reperti, aut urbe du-
dum non fuissent exterminati, reddere abnuebat? Quanquam si reti-
nuisset, præsertim isto rerum articulo, communi gentium consuetu-
dine se potuisset tueri, quæ fontes alienum territorium ingressi, non
deduntur, nisi pactorum legibus aliter sit conventum, aut atrocitas
sceleris, qualis in parricidâ Patkullo, detestabiles & misericordia in-
dignos effecerit. Mirum cû hæc illustrissimo viro objiceret, ni os illud
ferreum & inverecundum rubor suffuderit! Qui hunc conjugationis
manifestum, quem omnium regum causa ad ultimum rapi supplici-
um dudum oportuerat, non suscepit modo, sed & extulit, & fovit, is
inquam, ipse pacem non violavit: ad Sviones profugisse quosdam,
quos utique non retinuisset, id vero crimen habetur sævisimo bel-
lo vindicandum. Quid si hunc ad supplicium dedi Sviones postulas-
sent, credo, pro conscientia suæ teneritate ipse nebulo adsensisset,
aut eum reddidisset Saxo, quo satellite & administro furoris sui uti cõ-
stituerat. Sed ipsum sua pœna manet, subeunte memoriâ scelerum,
furiisque stimulantibus, quæ impiam animam nocte dieque circum-
stant & infestantur. Equidem quicquid egisset summus vir, cui pro-
vinciæ salus ac custodia a s. reg. maj. Sveciæ demandata est, tantum
abest, ut criminari quisquam jure possit, ut summa laude mañan-
dum esse invitus etjam hostis fateatur. Qui hic tanquam in speculâ
constitutus, cum facile prospiceret futuram tempestatem, pruden-
tia suæ judicavit ejus vim, quantum posset, infringere, aut forti a-
nimo excipere. In propinquo erant legiones prædatoriæ, si non-
dum infestæ, dubia tamen fide. Adhæc non susurrationibus vagis
& rumoribus evulgabatur, quid cogitassent, sed indicis certis com-
pertum erat. Quæ omnia sicut suspicionem primum, sic mox dili-
gentiam ejus augebant. Certe actiones tanti viri, citra partium stu-
dia, æstimantibus nihil omnino occurreret, quod ducem Saxonum
tantillum offendere, multo minus tanta immanitate animum ejus
inflammare potuisset: verum si quæ offensa facta est, illam omnem
ex dolore tantæ ad irritum cadentis spei provenisse palam est, quod

pruden-

prudentissimum sagacissimumq; senem ludificari, & quemadmo-
dum speraverat, imparatum opprimere nequisset.

Restat jam gravissima querela, & atrocissimum crimen, quod
si diluero, ut confido, aliud argumentum tegendæ suæ perfidiæ cir-
cumspiciat Flemmingius, necessum est. Tale autem est, ut in eo
exultare sibi præcipue videatur. Nam superiora, quæ objecerat,
contorta nare, & deridiculi causa, protulisse creditur, ut esset, quod
in symposiis, & inter suos, risu & joco agitaret. Constituisse autem
Sviones, ait, legionibus e Finlandiâ excitatis, hiberna Saxonum! a-
doriri. Faveo homini: utinam vera dixisset! Neq; ille, neq; sodales
ejus, quamvis ad audendum projectissimi sint, tantos sibi animos
sumsissent, ut nobilissimam florentissimamq; provinciam tam ne-
quiter diriperent. Sed quo indice de hoc Svionum proposito eru-
ditus erat? a quo didicit? Oportet illum fallaciæ, quam princeps
suus adornabat, nimis fuisse ignarum: quod tamen non credo. Cur
enim ipsum admissionis intimæ, secretorum arbitrum, audaciæ to-
ties expertæ, fraudum struendarum artificem summum solertissi-
mum, cum postremum ab amplexu suo dimitteret, tanti momenti
rem celaret? Ab illo totam scenam, nisi eam ipse instruxisset, chora-
go Patullo, discere potuerat. Ab illo igitur audivit successisse frau-
dem, quem intendebat: Sviones blanditiis, & fiduciâ novi fœderis
assopitos, otium agere, nusq; se commovere. Quo enim tempore
Vellingio, legato regis Sveciæ, qui tunc Dresdæ morabatur, capi-
ta arctioris fœderis cum Svecis feriendi tradiderat, cum hi credu-
litate nimia, cujus pœnam nunc luunt, esse putabant se a metu se-
curos; cum Cimbricum negotium omnes horum cogitationes eò
advertibat, unde turbas aliquando erupturas adparebat: eo scili-
cet tempore, alienissimo rerum statu, regem amicum, ut opina-
bantur, & jam novo fœdere sibi alligandum, bello laceffere cogi-
tarent, ex amicissimo infensissimum sibi reddere, & super occulte
infestos, apertis inimicitiis hostem quærare consultum ducerent.
Quid? cum ipse Flemmingius alterum jam mensem Livoniæ vitce-
ribus inhæreret, cum totam provinciam populabundus peragraret,
cum castella expugnaret, ipsamq; urbem obsidione quateret; quem
adparatum tantæ moli parem deprehendit? Num armatum sibi ob-
vium

viu[m] fuisse affirmabit, præter unam alteramve equitum turmas, quarum vetus in Livonia statio, & præsidia, quæ munitionibus imposita erant, modica oppido & debilia? Qui bellum meditantur, qui occasionibus imminent, an suas sic digerant rationes, cum rei militaris non imperitus est, quæso, ipse ne credit? Noverat in Finlandiâ legiones esse validissimas: intelligebat etiam evocandas esse, si quis Livoniam infestaret, inde calumniæ huic apta materies, quam fucos aliquos incrustatam orbi propinare non erubuit. Quis eum nunc dubitet fallendi artem callere, qui solerter adeo veris falsa probare novit? Si quidem falsa tantum, quæ veri nihil admistum habent, quisquis locutus fuerit, difficilius, quod vult, alteri persuadebit. At unum militem e Finlandiâ accitum fuisse, antequam ipse jam non metu ac terrore provinciam adflabat, sed quadam indagine cinctam tenebat, incendiisque & rapinis fœdabat, cavillator ut sit, non sustinebit jam affirmare. Tantum abfuit, ut periculum ab eo latere hybernis suis metuerit. Tardius igitur eò penetravit Finnicus miles, longo & difficili itinere, quum non navigabile esset mare, nec glacies transvectioni firma. Quam anni tempestatem deligebat hostis, ut, cum majori circuitu duceretur iste, interea ipse provinciam opprimeret, aut expilaret. Quod vero conjiciebat adfore tandem, eo magis tum festinare, & nefaria animi destinata tegere. Cum dolis instructissimus in hyberna rediisset, atque subolfecisse aliquid Rigenses de fallaciâ, quæ struebatur, forteque paratiores, quam expectaverat, esse audivisset, tam graviter excandescebat, ut legato suo, quod solertius consilium non dissimulasset, pene oculum eruerit. Tum, die nulla interposita, per Curlandiam quam celerrimè agmen raptabat: & quamvis excubias equitum, ad limitem Livoniæ positas, facile superasset: pauci enim erant: tamen cum per illos hostis adventus esset nunciatus, excitatos hoc tumultu oppidanos, & qui proxima urbi castella insidebant, vehementissime indolebat. Infremebat dentibus non primo impetu capi potuisse urbem, cujus oppugnationem non paucos sanguine staturam prævidebat, postquàm ad vanum irritumque scelestus Carolivicii astus redactus erat. Hic enim, Sinon alter, cum paulo ante, a regis Sveciæ legatis, literas ad præfectum Livoniæ commendatitias Moscoviâ attulisset, hospitaliter in primis comiterque exceptus est. In castra

¶ Ira Saxonum postea abit. Unus & alter dies intercessit, fingit, an re-
vera destinasset, se Moscoviam reverti velle, transitumque pro se &
comitatu petit, & obtinet. Nec mora: rhedas ingentes armis, scalis,
pyrobolis onustas, cum artis istius gnaris, præmittit, ut, his portas ur-
bis occupantibus, telorumque ignitorum jactu præfidiarios arcenti-
bus, valida dimacharum manus, quæ prope insequeretur, irrumperet.
Sed cum paulo maturius, quam dimachæ, impedimenta hæc ad limi-
tem venissent, excubitores fraudem detegunt, per equitum velocissi-
mos Rigam nunciant. Disturbatum igitur, quod, reuente Deo, susce-
ptum erat consilium: & improbissimus hujus doli machinator, in
oppugnatione Nyemundæ, dignas mox perfidiâ sua pænas dedit,
globo ignito laceratus: egregia morte, si in causa honesta cecidis-
set. Hæc & similia cum tentaret Flemmingius, de metu a Finnico
exercitu mutire audet? Is orbi tam inficetam fabulam obtrudet,
metu futuræ oppressionis arma se sumfisse, nec lacesfisse, sed bellum
parantes occupasse? Enimvero quam absurda valde & insufficiens
belli causa metus fit, & quam liquido prius constare debeat de in-
festa alterius voluntate, quam ad extrema provolare, tardiusque
molientem opprimere liceat, si quis favore innoxia defensionis
gaudere velit, & pium justumque bellum gerere, quamvis solidissi-
mas rationes, cordatissimo cuique semper adprobatas, adferre pos-
sem: tamen, cum ei nullus omnino metus erat, nisi ut fraudes suæ,
jam diu meditatæ, parum commode procederent, ex hoc capite
amentiam hominis coarguere non necessum duco. Est enim ipsa
fallaciarum series retexenda. Cum epistola apud regem suum ex-
cusare satageret subitam injussu ejus irruptionem, ad quam scilicet
timor a Finnico milite impendens illum adegisset, num serio a-
git? Hoc fidem apud ullum inveniet, qui paulo emunctioris naris
est, ipsum, inconsulto rege ac inscio, bellum temerarium ac peri-
culosum suscepisse, & cum Mars communis est, eventus belli in-
certus, summam rerum in apertissimum discrimen sponte suâ dedis-
se? Nam licet conicere potuisset, non displiciturum in quieto animo,
& vasta consilia agitantis, bellum tam opportune conflatum, & pul-
cerrimæ provinciæ, si dolus successum habuisset, accessione com-
pensandum: cum tamen probe intelligeret, non decere ministrum

limites muneris sui excedere, in re præsertim tam ardua, quod facile contingere potuisset, ut, etiamsi prospere, præter veniam tamen, pugnasset, exemplo multorum temeritatem hanc imperiiqve contemptum capite lueret; saltem regis sui, non procul adeo confuturi, consilium iustumqve exquisivisset, demonstrato periculo, in quod exercitus ejus brevi incurreret. Quodcunqve dicat, non levi principem suum suspitione urget, quasi, eo contempto, & in voluptates resolato, ipse dominationem teneret, præcipue, ut planissime apertissimeqve est expositum, cum, remoto omni metu a Finorum irruptione, paucorum dierum moram tolerare potuisset, donec peculiari mandato ad negociam periculosissimam obeundum institueretur. Bene haberet, si in hoc ipso culpa tantummodo resideret! Ipsius & sodalium deditio, debitisq; suppliciis, quamprimum hoc facinus expiandum esset. Verum salvus est: agnoscit princeps factum, defendit, protegit. Ille regi melius longe, quam rex sibi, consulere volebat: quod cum videret perpetuam ei levitatis notam inde iniustum iri, maluit ipse eam subire, ingenti certe in illum amoris pignore. Multi enim pro rege vitam non dubitarunt profundere, hic etiam famam. Quam expediisset quoque ne quisquam eorum, qui summo in terris fastigio admoti sunt, tale facinus committendo, crimen lædissimum, totiq; hominum generi ac societati perniciosissimum, suo exemplo illustrius redderet, & perfidiam, vitiorum ultimam, in regiarum virtutum chorum adscriberet: in Flemmingio, quod peccasset, & jactura vilior, & exemplum fuisset obscurius.

Sed quid illum ulterius exagitem, qui se quidem hujus facinoris ministrum præbuit, cæterum jussu & auspicio principis sui? Quo æquius est veritate tanta confixum, ac fatentem, paululum recreare. Concedam igitur tantisper offensivæculam a Rigenfibus datam esse: Finnos quoq; illa Saxonum terricula, quamvis centum amplius milliaria trans mare, procul in suis agris, degerent, per nocturnas visiones animo ejus obversatos fuisse: tantum scire libet, an Samogitharum casas diripere, & prædari horrea, militi Saxónico idcirco tuto non licuit? Num, tortor conscientie, metus eo valuit, ut pacem tanta perfidiâ rumperet Saxo, & non indicata injuriâ,

juriâ, quæ læsus esset, non damni, si quid datum, reparatione ver-
 bo tentata, bellum omni crudelitate adgrederetur? Nolo ad gen-
 tium etiam barbaricarum mores provocare, quibus æquum sem-
 per visum est, omnia prius experiri, quam armis decernere: Nolo
 Deum injustorum bellorum vindicem inculcare, ne fictam fortas-
 sis rem ei narrare videar: pacificatio Olivenfis, quæ æterna inter re-
 gna Svionum & Polonorum amicitia stabilita est, quam utraqve
 gens ut normam, & legem sanctissime servandam, mutuo consen-
 su receperat, quæ denique imperatoris Germanorum, Galliarum regis,
 & electoris Brandenburgici sponfione ac evictione quam firmissime
 corroborata est, longe aliam tollendi disfidia, si quæ orirentur, ra-
 tionem præscribit. (a) Hæc enim quamcunque injuriam, quæ citra
 vim armorum fit, bello ulcisci vetat, donec is, qui læsit, postquam
 decenter est admonitus, damnum refarcire abnuerit. Tum demum
 alteri, facta prius legitima belli denunciatione, jus suum armis per-
 sequi licebit; quod ut obtineret, sponfores quoque ad auxilia læso
 ferenda sese obstrinxerunt. Hæc nauci habuit rex Poloniae, qui jam
 dudum caput omnia sacra contemnere: horum nihil tentavit: nec
 de ulla unquam injuriâ questus est: adeo Svæci in illa refarcienda
 non poterant tergiversari.

At vero cum omnia, quæ nefario huic bello prætexere hætenus
 voluit, de exquisitissimo calumniarum genere deprompta esse quivis
 intelligat: quæ tandem intimior causam regem Poloniae ad tantam
 injuriam stimulavit? Respondet Flemmingius: *Jusjurandum reipublicæ
 Poloniae datum, ut avulsa recuperaret.* Hoc enim ipsum monet epistolâ
 Janiscæ scripta. Bene famæ principis sui consulit religiosus con-
 siliarius, qui ad flagitia eum adhortatur! Sed conscientiam liberare
 atque exonerare debuit, quod olim, cum rex eligeretur, ejus nomine
 ad id jurejurando se reipublicæ Polonorum obstrinxisset. Quam fo-
 lers est libido ad fingendas causas furoris! Ab illo unquam Poloni
 postularunt, ut regem suum fraudibus instrueret, ipsi mox reipublicæ
 perniciem acceleraturis? Unquam illi petierunt, ut, violato gentium
 jure, per dolos & clandestina latrocinia ad ea recuperanda, quæ fo-
 lenni pacto cessarunt, grassaretur? Gens magnanima, & tam candore
 animi,

C,
 (a) Pacificatio Oliv, art, 35.

anîmi, quam virtute præstans, non furari solet victoriam, sed aperto Marte hostem, si quem habet, adgredi: neque ita diffidit viribus suis, ut ignobiles & turpes fraudes in societatem belli adsciscat, armaque hæcenus intemerata, & toties adversus communem Christianorum hostem tam fortiter, tamque feliciter sumta fœdisima labe contaminet. Non poterit non averfari istud regis sui factum, quod famam innocuæ gentis si non maculâ quadam adpersit, at fidem ejus apud vicinos populos non nihil labefactavit; qui hoc levitatis exemplo moniti, in eorum amicitia, quibus princeps tam fluxi animi imperitat, parum fiduciæ collocabunt. Etiam si pro eximia sua sapientiâ facile judicaverit, quam jurisjurandi, quod reipublicæ dedit, servans fuerit, qui dolos & versutias inter artes imperatorias dudum cooptaverat. Cum ad tam fœda & abominanda principem suum instigaret homo profanus, sustinet profari, *manu Dei viam quasi ad hæc perficienda demonstrari.* Equidem, quem Deum ipse colat, ignorare me profiteor: hoc tamen recte mihi videor affirmare posse, atque sanis omnibus adprobaturum me confido, si quemquam esse credidisset Deum, qui totum hoc universum nutu suo & providentia regit, qui que recte facta ineffabili & æterno gaudio, prava vero, & legibus suis adversa, perpetuis apud malos genios cruciatibus mastrabit, nunquam ad tam horrendum execrandumque crimen prolapsus fuisset. Certe id, quod Christiani colimus, numen cum omnia scelera, tum fraudes & injusta bella, quam maxime abominari, & severissime punire, a sapientibus viris, qui in Saxoniâ doctrinam ejus profitentur, audire potuisset. Illud numen, quod sic ludibrio habet, temeratae legis suæ pœnas ab ipso expetiturum, & illatas non minus sibi, quam Svecis, injurias simul aliquando ulturum esse si prædicam, nihil a sanctissimo verbo ejus alienum statuere me certus sum. Pro meliori enim causa stare solet, & quos perdere vult, prius occœcare; ut adeo spes sit brevi ratum fore, quod per furorem vaticinatus est, *manu Dei hæc consilia gubernari,* sed ita, ut sentiat, auerso numine, ea suscepta esse, rapique se non ad victoriam, sed ad exitium. Age porro, qui se tam religiosum tœderum interpretem existimari voluit, qua jurisjurandi necessitate constrictum esse asseverabit regem Poloniæ ad Livoniam vindicandam? Neque enim regno Polonico ita unquam coaluit, ut a-

vulsa

vulsa dici posset; quæ, destructa a Moscis republica equitum Teu-
tonicorum, ambigua finitimorum contentione, dubioque Marte,
aliqvandiu vexata est, donec prævalentibus Svionum armis jure bel-
li cederet. Interea isto tumultu, & crebra fortunæ varietate, cum
Lithuanorum societatem amplexa esset, ab ordinibus regni Polo-
nici acerrime contradicendum est, iniquissimo semper animo hanc
conjunctionem ferentibus, neque unquam assentientibus, ut, quam
ipsi regno voluissent insertam, Lithuania accessio fieret. Ita dubia
hæc provincia fluctuabat, neutra parte concedente, ut alterius di-
tioni adjiceretur. Quo igitur pacto avulsa appellabitur, quæ cum
regno isto nunquam consolidata fuerat? Contra ea, si id nunc a-
gendum esset, multis indubiisque eorum, qui res gestas populorum
septentrionalium scriptis illustrarunt, testimoniis probari posset, Li-
voniam Curlandiamque veteres Svionum esse provincias, & ante-
quam ordo Teutonicus in illas irrupisset, multis retro seculis eo-
rum paruisse imperio; ab iis quoque sacra Christiana primum ac-
cepisse: sed gliscentibus in Svecia bellis domesticis, peregrinas na-
tiones occasionem captasse has regiones invadendi, quæ nomen
Svecicum paulatim ita afflixerunt, ut in maritimis tantum oris, &
insulis fere, quæ his prætexuntur, vestigia ejus remanerent. Itaque
si a prisco Svionum in hanc provinciam dominio jus aliquod ac-
cersere liberet, his avulsa verius, postea non tam occupata, quam
recuperata censebitur. Quibus addi posset, Livoniam, quæ in tute-
lam imperii Germanici postmodo recepta fuerat, justo diplomate
Svecis, ab imperatore Carolo V. concessam esse, ut dedititiam ad-
versus vim Moscorum protegerent: Polonis autem a magistro equi-
tum eorundem, retinentibus horum non paucis, ejus permissam
esse partem; qui tamen, ut precarius magistratus, non majori Li-
voniam jure alienare potuit, quam elector Saxonicus hodie re-
gnum Polonicum donare alteri, aut vendere. Sed quid opus hæc jam
repetere? Nam si Polonis jus aliquod in Livoniam brevis olim pos-
sessio peperisset, id quæcunque demum fuerit, pace Olivenfi (b)
renunciatum est, atque abolitum: quam conventionem ordines
reipublicæ Polonorum non tantum firmam ratamque habuerunt,
verum

(b) art. 36.

verum & solennem ejus adprobationem codici legum suarum inseri voluerunt. (c) Qua igitur fronte Livoniam inter illicite avulsa reputaverit, quæ tam solenni ac legitimo modo cessa est? Aut qui potuerint ab eo Poloni postulare, ut, quod ipsi communi olim consensu cum Svecis pacti sunt, rex infringeret ac violaret? Si neque verbis fides, nec pactis obligatio inest, quid attinet bella componere, quæ temere & nulla injuriâ provocatus alter, quandocunq; voluerit, renovabit? Sublato hoc vinculo, quo salus hominum ac societas hætenus contineri visa est, quid tandem supererit, quod genus mortalium ab interuisione saluum præstiterit? Quam faciem hæc vita induet, nisi belluinam, & qualem dux noster optat, perpetuam quandam bellorum atrociorumque licentiam? Pessime igitur cum universo hominum generi consultum sit, qui, excusso ex animis metu & reverentiâ Dei, quo teste fœdera atque pacta ineuntur, fidem flocci habendam docet, tum sibi exemplum statuit perniciosum, inque ipsius caput aliquando retundendum. Quis enim ipse securus erit, quo magistro, alii tam expeditam fallendi viam didicerunt? Et quo jure alterum incusabit, si, ut est magna rerum omnium vicissitudo, paria patrare illi commodum forte visum fuerit? Qui fidem semel decoxit, eum etiam illi, quibus amicis utitur, metuent: & qui decepti sunt, ne iterum decipiantur, intentius cavebunt; cum bis ad eundem impingere lapidem stultis solis concessum est. Documentum certe habuerint vicini principes, quantum ejus amicitia tribuendum, quem non pudor a turpitudine, non fides a levitate, nec innocentia ab injuriis revocaret. At enim cum jurabat religiosus vir, regem avulsa recuperaturum, ad quam cœli plagam vultum convertebat? quid terrarum potissimum mente concipiebat? An Livoniam? At sola non est, quæ putatur regno avulsa Polonico. Nisi igitur, ad modum certi generis sacrificulorum, verba a mente aliena recitasset, eodem carmine devovebat, quantum olim regionum Poloniae quacunq; ratione obnoxium fuisset. Nam si Livoniam inter avulsa computat, in quam stabile firmumq; jus Poloni nunquam adepti sunt, quæ etiam Svecis legitima pactione cesserant, quid earum regionum, quarum alienatio meliore jure non nititur, fata morabitur? Dubitabit quisquam vicinorum de
inten-

(c) *Ratificatio Pac. Oliv. a Senat. & nobilit. Polon.*

intentione & mente regis Poloniae, quae non jam magis libera est, sed religione adstricta, Flemmingio interprete, & metum perjurii incutiente, nisi proxima quaeque tam specioso titulo admordeat. Pacta scilicet illum retinebunt, quae, quam facile vulpes pyrum comest, infulsis calumniis infirmare ac evertere noverit. Bene igitur juri suo in Borussiae cautum existimet domus Brandenburgica. Magnus item Moscorum dux in Kioviensem & Smolescensem provincias diuturnum sibi polliceatur imperium. Annon Daciam universam, cuius partem Hungariae rex, partem Turcarum imperator tenet, ad vetus obsequium compellere cogitabit, quod vestigalis olim & tributaria Polonorum fuerat? Quin Hungariam ipsam aliquoties Poloniae conjunctam fuisse constat: quo minus illam recuperare negliget. Silesia a primis regni incunabulis Poloniae adhaesit. Illam igitur tam opportunam, tam necessariam, arcem quondam & propugnaculum Poloniae, in perpetuum a corpore regni avelli rex patietur? Siquidem ut fidem reipublicae datam solvat, & teneram Flemmingii conscientiam a crimine perjurii liberet, religiosus princeps nihil intentatum inausumque linquet. Non potuit apertius animum & cogitata nudare, tectus alioquin & dissimulandi callidus: nec pertinacius belli causam quaerenti quidquam turpe aut illicitum fuerit, cum, qui Deum fallere non est veritus, homines post hac decipere inter ludicra reputabit.

Enimvero si credidisset Flemmingius non parvum gloriae regis sui cumulum accedere, quod Sviones immerentes, & paci confisos, per dolum atque insidias circumvenisset; si jam non nefas putasset Livoniam, quae legitime illis cessa est, propter jusjurandum armis vindicare: per cuius genium dejeravit, se quoque animos provincialium ad perjuriam adacturum? Quodnam decus inde reportaret, si, quorum fortunas ferro atque flammam corrupit, eorundem quoque fidem ac conscientias depravaret? quid commodi, quid ornamenti Livonis inde conciliaret vindex ac assertor? Quos profecto integritatis existimationis cives habere potuisset, si forte provinciam subjugasset, eos non nisi flagitio pollutos, scelere obligatos, ignominiosos & infames in potestatem recipere praoptavit.

D

Intel.

Intelligere tantum potuit, non esse in civium potestate fidem, quam regi legitimo semel jurassent, citra fædisimum perjurii crimen, abrumpere, seqve alieno dominio contra ejus voluntatem veniamque subjicere: neque obligationem illam, qua regi suo cives sunt devincti, statim tolli & exspirare, si contingat, injustis aliorum armis provinciam opprimi; quam diu ejus curam vetus dominus non abjecerit, aut ita viribus sit debilitatus, ut eam recuperandi nulla spes & ratio superfit. Quamquam ne tunc quidem priori juramento exsolvi eos, ut alterius imperium amplecti possint, apud cultiores gentes receptum est, nisi prævia ejus renunciatione, cui hætenus fide & obœdientiã obligati fuerant. Verum, ut apparet, id unice hic homo studuit, ut dubia cum principe suo palmã contenderet, illene injustius suscepisset hoc bellum, an nequius ipse gessisset. In eum finem disseminavit veterator quæquaversum libellos, putidissimis calumniis & omni impietate refertissimos, quibus intolerabile Sviounum jugum crepat, & rursus vetera Polonorum in Livonos merita in cælum extollit, aureosque montes prolixè pollicetur, vulpe pellice benignior, si, deserto justo domino ac rege, se grassatorum partibus adjungerent. Sperare potuit bellua, tam impio edicto capi potuisse Livonos? tam detestabili facinore delectari? tam veteratoria arte persuaderi, ut palpum sibi obtrudi sinerent, & famam honestatemque, quam maximum bonum mortales æstimamus, tam temere prodigerent? qui non minus constantiæ laude, quam virtute bellica conspicui, nobilitatem a majoribus partam, vitamque hætenus sine probro actam, tam enormi inquinarent flagitio! Quam stolidè ex uno alterove perditorum hominum, qui ob vitam consceleratam aut profugi, aut ejeti, nisi, perturbata patriã, spem salutis nullam vident, de tota gente ferat judicium! quæ fidem, quam puram adhuc inviolatamque regibus suis præstitisset, ab hoc nequitia mancipio tentari, sinistraque adeo vellicari opinione, quam maxime indignatur. Tam atrox ac abominandum cunctis hoc visum fuerat, ut etjam eos, quorum animus vacillabat, in fide & officio magis confirmaret, qui durissima quæque in patriã perferre, aut etjam cum illa perire, malle se aperte profiterentur, quam istius dominium subire, cujus

omnes

omnes cogitationes, dicta, facta fraude, mendaciis, crudelitate constare intelligunt. Hujus constantiæ specimen cepit ipse dux, cum, in isto latronum globo, non minis, non magnis pollicitationibus quæquam honestioris loci Livonum ad suas partes illicere potuisset; contra non paucos invenisset, qui cum fortunarum suarum naufragio fidem servare maluissent. Proditoribus autem, quos sinu suo ac complexu dudum recepit, visa hac popularium suorum constantiâ, tantus dolor iniustus est, tam acer conscientiæ morsus inflictus, ut, cum hætenus majori solatio cum multis, quam si soli perirent, interituros se sperassent, quandoquidem honeste vivere magis non possunt, jam cruciatus suos tolerare ulterius nequeant, & sentire demum, serioque agnoscere dedecus suum incipiant. Utraque pars in causa licet dissimili, diversis item voluntatibus, percipit tamen jam, & pene oculis cernit imminere cervicibus suis jugum gravissimum, parari conscientis vim, & haud scio, an toti genti excidium ac interitum, ni, ut hætenus in tutela Sveciæ mansuetudinis perseveret. Aut quæ forent præmia & emolumenta, quæ hac defectione & turpissimo scelere redimerent Livoni? Primum utique certum est, non passuros Sviones eripi sibi provinciam tanto sanguine partam, tot tantisque laboribus defensam; aut extorqueri sibi victoriam ab eo hoste, quem a majoribus suis toties perculsum, adque incitas redactum, meminerint; huic autem bello, utcumque se initia dederint, eo pervicacioribus animis inhæsurus, quo justiori causâ ad vindictam stimulantur. Quid tum de iis fieret, qui inexpiabili perjurii crimine se adstrinxerint, facile est judicatum. Non dubium est, quin in defectores, totamque eorum stirpem, eo gravius animadverteretur, quo atrocius longe hoc crimen censetur, & læsos majori odio ac irâ inflammare solet. Deinde laxius sub eo imperium an credibile est Livoniam experturam, qui ab eo tempore, quo sceptrum nactus est, curas cogitationesque omnes in hoc confixas habuit, ut, eversa veteri apud Polonos reipublicæ formâ, absolutam sibi acquireret potestatem, & e republica libera regnum redderet adductius atque hæreditarium. Propterea copias Saxonicas in Poloniam accersivit, specioso quidem titulo, tanquam

quam adversus Turcas, re tamen ipsa, ut discordiâ inter magnates
nobilesq; callide excitata, alteros fovendo, universos opprimeret.
Sed cum hanc fraudem, etiamsi initio cautior fuisset, detegerent pru-
dentiores, qui subdolis regis promissis ac beneficiis inescari quo-
rundam temeritatem dolebant, & jam in eo essent, ut hospites liber-
tati suæ ac fortunis prægraves foras ejicerent, levare Lithuaniam
hac sentinâ coactus est, cui recipiendæ Livonia peropportuna vide-
batur. Procul enim abesse sciebat, qui colluviem hanc influentem
reprimerent: & cum ea, quæ vellet, confecta haberet, inde, tanquam
ex propinqua arce, majori vi rursus ingrueret. Itaque tali rerum
statu quodnam allevamentum Livonia habitura esset, quam funesti
hujus belli, nefariiqve conatus, arenam elegerat, nemo tam stipes
erit, qui non videat. Ineptum valde est credere, cogitasse unquam
regem de illa Poloniæ adjicienda, quam, Patkullo etiam fatente, ut
separatum dominium sibi retinere constituit; non alio fine, nisi ut
Polonos contumaciter reluctantes hoc freno coerceret. Otio tunc in-
primis Riga frueretur, festosque dies ageret, cum hinc & illinc infestas
volitare acies cerneret, seq; unam, quam propugnaculum tyrannidis
destinaverat, peti & affligi. Conscientiis quoq; incolarum quies parta
esset ac tranquillitas, cum, invalescente lue Jesuitica, tot evertendæ re-
ligionis cuniculos agi videret, quot templa & collegia exstruerentur.
Non hic commemorabo, quæ patrum memoriâ tentata sunt & per-
acta: tantum revocentur ad animum, quæ temporibus Stephani re-
gis & Sigismundi III, ab hoc hominum genere civitas perpeffa es-
set. Florentiorem vero is urbem redderet, atque immunitatibus
juvaret, qui hæreditariis urbibus omnem succum & sanguinem
subduxerat: Gedanum autem, civitatem de se optime meritam,
cui tantum debet, quantum quis diadema offerenti, non una ca-
lamitate afflixerat. Hæc enim sine dubio imperium ei tunc fir-
mavit: cum Franciscum Contium, gentis Borboniæ principem,
qui a primoribus Polonorum ad regnum vocatus, classem illuc ap-
pulerat, portu suo & exscensione prohibuisset: verum quam grati-
am ab eo iniit? qui, amoto æmulo, tanti beneficii immemor, con-
servatricem suam non modo pecuniâ mox vexare cœpit, sed etiam
vetera

vetera ejus jura & privilegia, quæ exaucturum se promiserat, variis artibus circumscribere. Quid hoc factum indignius? Sed parum erat urbem fidissimam, constantissime suas partes secutam, ita illuisse, nisi alterius vindictæ eandem proderet. Nam cum eo ipso gravissimum regis Galliorum odium in se concitasset, qui ultionem spreti consanguinei principis quærebat, ab eo, cujus gratiâ hanc inimicitiam susceperat, deserta est, & extranei regis arbitrio dedita, ut duriores quasque leges, quas infensus dederit, subeat, ni cladem & extrema quævis experiri malit. Non igitur falsa conjecturâ, non vana spe, futuram sub hoc principe sortem Livoni præsumant: qui quantiscunque jam pollicitationibus eorum animos lætaverit, tam sancte eas postmodo servaret, quam fidem Gedanensibus datam, quamque stipendia copiis Polonicis, circa initia regni promissa, solverat. Nunquam ille ab animo suo impetraverit, ut a regulâ recepta jam & probata tantillum recedat, quâ, ut pueros talis, ita viros promissis fallendos esse utile censet. Quin cum militem aleret numerosum, quo insana hæc consilia facilius exsequeretur, unde sumptibus tolerandis & quotidianis effusionibus pecuniam coraderet, nisi ex provincia oppressa & subjugata? Transalpini thesauri in longum non sufficient. Germanicas regiones collationibus & tributis acerbissimis dudum exhaustis; quarum partem cum vendidisset, partem fœneratoribus & extraneis oppignerasset, tantum æs alienum conflavit, ut, si reliquas venderet, vix quidquam inde exculpi posset. Polonia nihil ad suam perniciem conferet, quæ militem veteranum stipendiis fraudatum, & ob id tum multuosius agentem, difficulter in obsequio continebit. Lithuania tantam passim prædatoriis cohortibus calamitatem vastitatemque intulit, quantam a sævisimo hoste vix passa esset. Licet hinc augurari beatam vitam, benevolentiam ac libertatem, quam rex Polonia præstiterit; qui quemcunque populum hætenus adiit, egentissimum afflictissimumque reddidit.

Quæ insolentia cum in omnium ora oculosque incurrat, sustinet tamen Flemmingius Svonum jugum crepare. O præclarum libertatis vindicem! O Livoniæ columen! Agere Diis gratias convenit,

venit, qui, cum Livoniam recreare constituissent, hoc duce potissimum voluissent uti, cui velut alteri Jovi Sospitatori aram posthac locabunt incolæ. Ni forte ut *Mosem suum*, qualem se ipse venditat, illum suspicere malint, qui eos ex Livonia, ceu servitute Ægyptiaca, eductos nescio in quas Scythiæ solitudines in perpetuum detrudet. Nam cum Asia Palæstina propior non est, illud omnino futurum indigenæ sibi persvadeant, siquidem nec Moses, quem imitari se jactitat, Hebræos aliter liberare potuit, nisi in vasta regionum incultarum ejectos. Non possum, quin hæc cogitans proruptam hominis audaciam inclamem, & ut levisime dicam caninam impudentiam, qua in Svionum leges & imperium debacchatur. Quis enim os illud & factum feret? Is, cujus princeps ad dominationem atque prædam semper hiat, de tributorum gravitate hiscere audet! Qui fidem & promissa inter inania reputat, privilegiorum imminutionem increpabit! Pari vecordia regionum præfectorum in controversiis, quæ inter publicanos & agrestem plebem oriuntur, examinandis curam fugillat, in id institutam, ne Harpyis quibusdam in pauperculorum bona & corpora impune favire liceat: æquamque juris administrationem, quam optimus quisque non tantum summa laude dignam, verum etiam in republica bene constituta maxime necessariam judicaverit, crimen vocat perfidiæ ac rebellionis scelere ulciscendum. Adco isti homini suffusa bilis cerebrum turbavit, ut non videat se illos laudare, quos ita vituperat. Quis crederet ad extraneum spectare, quo honoris gradu quemque civium suorum rex Sveciæ dignatus fuerit? Hic tamen totis habenis in maledicentiam effunditur, ut ostendat inhonoratam esse apud Sviones fortium virorum operam. Quamvis autem omnium confessione constet nusquam gentium majores, quam in Sveciâ, viris militaribus honores tribui; nec plures alibi ab humili ordine ad amplissimos dignitatis gradus, ob bellica facinora, adscendisse; tamen, quare nonnullos honoratiori loco esse voluissent, regibus Svionum ratio non defuit, huic quoque nugatori, si saperet, adprobanda. Quod si eorum fortunam, quos jacere hæctenus criminatur, ampliorem posthac ornatioremque esse

esse voluerint, quid tunc allatraret mortalium impudentissimus?
Nam decretorum ejusmodi non invicta adeo & æterna ratio est,
ut non facile mutari possint & soleant, quod ea reipublicæ tempo-
ra sæpe incidant, ut, quorum opera minoris olim habita fuerat,
deinceps majori in precio ac honore habendam esse princeps exi-
stimet. Sed cum nihil ineptiarum omisisset præstigiator, quibus
Livonos ad seditionem impelli posse sperabat; tum vero impri-
mis rabiem suam armat, & omne acerbitatis virus evomit, ut Ri-
geneses, ostentatis damnis, quæ sub Svionum imperio passi sunt, a
fide & constantia dimoveat. Verum ut omnes intelligere possint,
stuporem hic cum summa animi malitiâ contendere, & huic ma-
gis voluntatem & libidinem criminandi suppeteret, quam incensam
em, quid ineptius adversariis objicere potuisset, quam incensam
ante aliquot annos per nefarios homines urbem? quos planum
est a quibusdam istius nationis, quam fortassis hoc bello sociam
habiturus est rex Poloniæ, subornatos fuisse. Non meliori ratio-
ne hujus incendii culpa in Svecos confertur, ac si eos hodie accu-
sare velit, quod ipse vicis passim exurat; dignus mehercule iis-
dem rogis quibus prius maleficium punitum est. Jam vero, quod
suburbio Rigensium faces sint injectæ, cui culpa imputanda est? iis-
ne, qui ex insidiis urbem capere volebant, an vero his, qui aliter
eam defendere nequibant, nisi exustione ædificiorum, ex quibus
oppugnari potuisset? Tam juste Svecis hoc damnum exprobrave-
rit, quam gubernatori navis jacturam mercium, quod perire no-
lit; aut insanabile vulnus habenti, quod ferro brachium refecan-
dum præbeat, ut vitam lucretur, & reliquum corpus a contagione
fervet. Equidem credo tam Saxonem, quam Svecos, summo dolo-
re conspexisse pulcerrimas ædes flammâ devorari ac concidere, ve-
rum illum, quod inde recta urbis ipsamque arcem, sicut destina-
verat, oppugnare non potuisset, hos, quod, ut hostium faucibus
eam eriperent, ad hanc necessitatem compulsi essent. Quem
casum siquidem impendere urbi facile prævidebat, si tam insignis
ejus misericordia fuisset, cur ab oppugnanda non abstinuit? nunc
calamitatem, quam ipse fecerat, miserari, eorum truculenta est
huma-

humanitas, qui ridendo injurias inferunt. Porro, licet nulli non populo usitatum fuerit, annonam ingravescente, frumenti exportationem inhibere, imo ni suos cives fame crudeliter necare velit, necessarium censeatur; tamen & hinc calumniandi ansa arrepta est. Atqui hoc non tam est principem, qui vetat, quam Deum accusare qui sterilitatem immisit. Si propter ejusmodi mandata, quæ necessitas extorquet, justam defectionis causam haberent cives, jam dudum omne imperii nomen in Europa fuisset sublatum, cum nulla gens, nullum regnum, nulla respublica invenitur, quibus per hosce annos ejusmodi exempla non frequentata sint.

Sed quid singulas hujus insulitates persequar? Neque enim has attingere libuit, quod dignæ refutatione visæ essent, quandoquidem nihil a Svonibus commissum est, quod asperius imperandi genus arguat, quodque princeps etiam indulgentissimus non facere soleat; verum ut planum fieret omnibus, qui flagitia detestantur, nihil morari ducem nostrum, quo Livonos similes sibi faciat, metumque numinis, & reverentiam jurisjurandi ex eorum animis expellat; atque ut id consequi possit, tam cæca rabie in criminationes ferri, tanta impudentia debacchari, ut non procul abhorreat ab insaniâ. Mirum quid reponeret ipse, si Saxones, si Polonos ad paria in suum principem audenda adhortaretur alius, probabiliori longe ratione illis religionis, his libertatis periculum repræsentaturus? An vero consilia ejus penitus introspicienti dubium erit, quin utriusque oppressionem animo agiter, qui sacra omnia profanare cœpit, & nihil pensi habere, quod suis non conveniat cupiditatibus & dominandi libidini. Certe non ex vano fuit, quod prudentissimus quisque Polonorum formidabant, altius istud penetrare, tentarique eorum libertatem, cum, parva etiam pace, peregrinas copias, quas in regnum induxerat, contra pacta & conventa obstinatius retineret. Quid enim moræ & tergiversationis erat, nisi ut rempublicam armis oppressam non ex legum præscripto, sed suo arbitratu, regeret, & saluberrima liberæ gentis jura, quibus immensum hæctenus viguit, pessundaret. Isto exercitu & instrumento dominationis fretus, non occulte, sed palam munia senatus & ordinum in se trahere cœpit, par-

Etæque

Itaque & conventa, quibus tam libertas eorum innititur, quam regis potestas coercetur, susque deque habere. Quid enim horum est, quod conculcatum jam non videant Poloni? Et quantum restat, ut regem nullis legibus adstrictum habeant? Nam si inter certissima summi imperii pignora, quod nemo unquam dubitavit, jus belli ac pacis emineat, quæ umbra libertatis supererit, cum inscia & inconsulta republicâ, fœdera pangere, bella indicere pro lubitu reorum potest? quandoquidem arma tenenti reliqua omnia parebunt, nec vetera subvertere, adque animi sententiam fingere & reformare difficile erit. Ista quidem a rege suscepta esse non ad reipubl. incrementum, sed ad suam dominationem stabiliendam, documento fuerint istius fœderis capita, quæ legato Svecico, sicut supra memoratum, paulo ante tradidit. In quo, monentibus licet Svecis, cum nullam reipublicæ rationem habere voluisset, divinari facile Polonis fuerit, quo istud tenderet, & simul intelligere Sviones eorum libertati, quam suis commodis, fuisse amiciores. Neque tamen omnino nulla est causa Polonis suspicandi, apud aliam gentem, quod Svionibus persuadere nequirit, quicquid in speciem renovandi fœderis jactatur, regem suum facilius obtenturum. Jam vero bellum, quod improvise & temere Svecis illatum est, quid aliud arguit? Quod etiam si respublica non potuit prohibere; verumtamen si incipitum jam ratum haberet, suisque opibus sustentaret, maximum ad auctoritatem suam momentum accessisse rex videret, eaque adprobatione jus sibi acquisitum, de summâ rerum pro arbitrio statuendi. Non enim exempla, ubi inciperunt, subsistunt: solutis semel legibus, crescit in immensum licentia. Eo pacto animadverterent Poloni sublatum esse illud Palladium, quo manente, libertas eorum salva fuerat; jura ordinum everfa; & omnem vim regni e liberis comitiis in unius arbitrium transferri, qui pro sua lubricine rempublicam invitam gravissimis turbis ac periculis implicare posset. Non deesset unquam peregrino militi inducendo idoneus prætextus, cujus auxilio præferocis populi & libertatis amantissimi vires animosque domaret, jugoque alienæ gentis, linguâ & moribus quam maxime discordis, colla libera

E

subjice

subjiceret. Non obscurum hoc ejus consilium erat in Elbingensi
controversia, in qua urbe occupanda si non connivisset, vehementer
tamen hac reipublicæ jacturâ delectatus est, ut copias, quas
exonerare jam simulaverat, diutius detinendi causam haberet; id
eoque nullis ordinum precibus flecti potuit, ut tollendo huic dis-
sidio operam suam interponeret. Quod cum Poloni nihilomi-
nus, invito rege, perfecissent, non alia ratio exercitum in propin-
quo habendi visa est, nisi ut Livoniam, inundaret. Sane omni lu-
ce clarius est, non aliam ob causam hanc provinciam corre-
ptam esse, quam quod vesanis destinatis peridonea visa esset, ut
si hanc opprimeret, ab ea parte Poloniam obsessam teneret, & in-
cumbente aliunde regionum Germanicarum mole, lethale tan-
dem vulnus libertati reipublicæ infligeret. Quæ quidem mihi
jam jure meritoque latari videtur, quod, rege ad hanc dementi-
am impulsio, patefcere animum ejus & illicitos conatus, & simul
planam apertamque viam sibi muniri sentiat ad depellendam,
quam machinatur, e cervicibus civium servitutem. Nunquam
enim impio hoc bello Sviones lacesivisset, nunquam tam temere
eos adgressus fuisset, qui protervitatem tantam ulcisci acerrime
poterunt, nisi Deus improborum ultor ac vindex consilium ipsi
eripuisset. Unde non dubiis signis conjectare licet ac divinare,
impendere huic fatum aliquod, & pœnas temeritati suæ debitas
appropinquare jam, aut adesse: certe *manu* DEI viam Polonis ma-
nifestari, quâ insidias, quæ absconditæ quodammodo antea, jam
erupuerunt, declinare, sequæ suamque libertatem tutari possint.
Quæ enim major unquam opportunitas fuerit oppressores rei-
publicæ coercendi, & Saxones simul omnes finibus Poloniæ exter-
minandi atque ejiciendi? Quæ occasio amplior a rege extorquendi
myriadas illas pecuniæ, quas militi Polonico liberaliter promisit, sed
in hunc usque diem injuste detinuit? Adventarunt jam legiones
fortissimæ, quas metuere se antea fingebat, nunc vere timet: ade-
runt mox e Sveciâ majores copiæ, quarum omnium auxilio Polo-
nis facilimum erit licentiam Saxonum compescere, & indomitas li-
bidines refrenare. Neque ægre rex Svionum id concesserit, quæ
in vi

in vicem servati fœderis, & stabilis in posterum amicitia pignus,
hanc gratiam Polonis libenter referet: præstare autem hoc, quod
vellent, eo expeditius poterit, quod Anglorum Batavorumque
classibus, aliisque fœderatorum auxiliis, rege Daniæ coercito, in-
traque fines suos represso, omnes copias regni que vires in Livo-
niam transportare ipsi integri fuerit. Has igitur æquum est ve-
lut cælo delapsas a Polonis suspici, quos sera alioquin pœnitentia sub-
ierit, si occasionem bellissimam, ac divinitus sibi monstratam ne-
gligant: siquidem connivendo, & immanissimi animi destinata fo-
vendo, suo jumento malam sibi rem arcesiverint, furentique gla-
dium, quo ipsi mox jugulandi, præbuerint. Hoc certe persuasissi-
mum sibi habeant, nullos hoc bello progressus regem suum factu-
rum, qui non in ipsorum exitium perniciemque redundaverint,

Quæ cum ita sint, cumque non conjecturis, sed documentis
luce ipsa clarioribus patefactum sit, quam injuste hoc bellum a re-
ge Poloniæ susceptum sit, quam turpiter a ducibus ejus gestum,
quam impudenter denique defensum; fas quoque sit sperare ne-
minem fore, cui aliquis honesti sensus, cui publica salus ac tran-
quillitas cordi est, qui istius regis libidinem non toto animo aver-
setur, qui nulla inductus injuriâ, sed ex sola animi impotentiâ, &
dominandi cupiditate, solennem pactorum fidem violavit, & so-
litum nuper cum incredibili orbis Christiani lætitiâ incendium,
nunc cum summo ejusdem dolore ac metu resuscitavit, totque ho-
minum vitas simul & fortunas in casum dedit. Omnes certe prin-
cipes dolentius ferent, ab eo, qui sacrosanctum regis nomen, &
eminentissimum rerum humanarum decus gerit, mota esse istius
jarris fundamenta, quo societas gentium hætenus inconcussa ste-
tit, nec quidquam tam sanctum ac inviolabile haberi, quod libi-
dini non succumbat. Qui fœdere Evangelico continentur, non
poterunt non ominari, quid præsidii in illo positum habeant, qui
cum se rectorem assertoremque istius fœderis gerat, non tantum
religionem avitam, in ipsorum opprobrium, deseruit, verum etiam
regem præcipuum suæ religionis fulcrum ac propugnaculum, quan-
tum in se esset, subruere ac convellere non dubitavit. Eos deni-

que, ad quos intractæ pacis vîndicta pertinet, imprimis regem
Christianissimum, cuius sponso atque auctoritas petulanter læsa
& contempta est, spes erit certissima non passuros temeritatem hanc
fore inultam, verum omnia consilia viresque collaturos esse, ut, quæ
manifestis pactorum legibus exprimitur, pœna quam celerrime fœ-
ditrago & aggressori infligatur. Si quos privati lucri spes, aut ab-
sconditum odium in transversum egerat, ut oleum alendo igni sub-
fundere utile putaverint, eos si non pudor, aut honestatis cura, a
turpitudine hujus societatis retinebit, apertissimum certe discrimen
quod vicinis omnibus ac toti Europæ instare jam vident at-
que impendere, dehortari deberet, ne immentæ unius ambitioni
ac exitiosis destinatis lenocinando, incendium, proximam quam-
que gentem eadem flammâ correpturum, occulte nutrent, aut
suggestis facibus latius spargerent; rectius longe, & majori adplau-
su sanioris orbis, id operam daturi, ut communibus auxiliis quam
ocysime extingueretur. Quæ spes si regem Sveciæ frustretur,
non propterea causam despondebit, aut usque adeo animis concir-
det, ut non armis jus suum affecuturum se confidat: quin divini nu-
minis auxilio fretus, & supra insitam virtutem justissimo dolore sti-
mulatus, speret se tam strenue temerarium hoc atque impium bel-
lum profigaturum, quam fidem hætenus simpliciter coluit, eoque
latiorem hisce turbis finem impositurum, quo fœdius initium eis
attulerat rex Polonia.



(1)

TESTIMONIA,

quæ in ipso Libello allegantur.

Lit: A.

Diploma Jacobi Henrici Flemmingi, copiarum Saxonicarum Ducis ad Livonos.



Notum hisce facio, quod, cum a Svecis in Livonia turbis ansam præbentibus, qui infesta dudum agitare cæperunt, adjectis minis, se, contractis ex Finlandiâ, Æstoniâ, & Careliâ auxiliis, Regis mei clementissimi copias, in Lithuania hybernantes, adorturos, ipse coactus fuerim ad perniciosissima hæc molimina prævenienda, exercitum mihi commissum in Livoniam adducere, eoque intendere, ut commodum ibi locum occupem, unde hostiles conatus reprimere queam: atque certo sciam eam esse S:æ R:æ Majestatis voluntatem, ut incolæ omnes & singuli, nobiles, cives, rusticolæ, & cujuscunq; conditionis, quantum fieri possit, illæsi conserventur, ideo ut absq; metu ac solitudine ex periculo corporis & vitæ, opum, domiciliorum, fortunarumq; quisque degat, in tutelam S:æ R:æ Majestatis recipere volo &c. Janisca $\frac{1}{2}$ die Februarij, MDCC.

Ejusdem

ad Regem Poloniae epistola.

Regiam vest:æ Majestatem certiolem hisce facio, quod, postquam jussu ipsius, quantum potui, iter acceleraveram, heri huc pervenerim. Gedanum ingressus, percepi Svecos in Livonia non parum sibi a copiis R:æ V:æ Majestatis metuere, illisq; vehementer diffidere, increbescente rumore, quo longius processissem, adeo ut isti irruptionem exercitus nostri indies expectare

A

ctare

stare dicerentur. Illico ut castra intraveram, a summo vigiliarum
 praefecto, Paikelo, diligenter quaesivi, num qua a nostra parte cau-
 sa illis timendi data fuerat? Ille innocentiam suam declaravit, pro-
 latis, quas ad generalem Governatorem Rigensem dederat, literis,
 quarum exemplar nunc mittitur: unde satis liquet, nostros ne mi-
 niam quidem suspicionis istius, a Svecis tantum affectatae, ansam
 praebuisse, qui, licet copiae V:ae M:tis nusquam se movissent, nihilo-
 minus hastis, falcibus, ferratisque clavis propugnacula & valla ur-
 bis Rigensis praemununt: plura versus partem, quae Curlandiam
 spectat, per muros tormenta disponunt: majores solito vigiliis a-
 gunt, oppidanis quoque ad arma vocatis: stationes equitum limiti
 praetendunt: Rigam commeantes praesertim duces militares, qui e
 castris nostris venisse comperiuntur, diligentius examinant obser-
 vantq; misis etiam in castra speculatoribus, qui motus nostros ex-
 plorarent. Quin ne facto quidem hostili abstinuerunt, prohiben-
 do nostros, qui fugitivos persequerentur, hos vero protegendo, a-
 deoq; omnia, quae contra hostem adhiberi solent, egerunt. Su-
 per hac a pluribus mihi nuntiatum est, generalem Governatorem
 Rigensem, non modo ordinarias in provincia equitum turmas, ve-
 rum etiam rucolas cogere: unde liquido constat, non cogitare
 ipsum tantummodo munimenta sua defendere, sed potius copias
 nostras in hibernis constitutas oppressum ire. Quoniam igitur
 infestus in nos Svecorum animus inde satis patet, qui initium qua-
 si hostilis motus fecerunt, literis heri ad generalem Governato-
 rem misis, cum eo injuriam hanc exostulare volui, cujus respon-
 sum exspecto. Interea coercendis eorum conatibus omnia parata
 habeo, siquidem expresse illi minati sunt, se, acceptis ex Aestonia, Ca-
 relia & Finlandia majoribus copiis, vel Dunam transituros. Quo
 pacto ego cum meis in regione aperta minus securus forem, neque
 insultibus hostium ullo modo resistere possem. Quapropter, o-
 mnibus rite perpensis & deliberatis, convenientissimum & necessa-
 rium

rium maxime judicavi, mature ejusmodi consilia prævenire, & quod
 V:m R:m Majestatem ratum habituram spero, copias ad Dunam
 admovere, ut præsidio istius fluminis ad avertendam hostium irru-
 ptionem utar, & impediam, ne sedes belli in Regnum, cujus incolumi-
 tas R:æ V:æ M:ti quam maxime cordi est, transferatur. Quod me-
 ditanti animum addidere plures R:æ V:æ M:tis subditorum quere-
 læ, ut ex epistolâ N. N. inclusa cognoscere licet: tum dominus N.
 N. eo in negotio auxilium & omnia, quæ in ejus potestate fuerint,
 obtulit. Equidem jussu R:æ V:æ Majestatis prius, quam ardu-
 um hocce opus aggrederer, impetrandum mihi fuisse fateor, gna-
 rus tamen, quantum periculi in morâ, hoc potissimum rerum statû,
 officii mei esse duxi ea avertere, quæ bellicæ R:æ V:æ M:tis gloriæ
 & Reipublicæ commodis adversari viderentur, humilime rogans,
 ut, quæ porro facienda sint, R:a V:a Majestas quam maturrime &
 plenissime mihi exponenda curet. Janiscæ d, xix. Feb. MDCC.

Lit. B.

CUm R:a V:a Majestas in rebus arduis maxime & difficilimis
 mihi confisa, non modo totum electionis negotium meæ so-
 lius industriæ, sed etiam adversus Principem Contium exer-
 citum ducendum, nuperq; disidia, quæ in Lithuania exor-
 ta, toti regno exitium portendebant, sopienda commiserit, quæ
 omnia, ut gloria R:æ V:æ M:tis, & salus Regni, cujus summam sem-
 per curam R:a V:a M:tas gerit, exigebant, feliciter peregeram: ideo
 cum hoc tempore & V:æ M:tis existimatio & regni utilitas, mirum,
 quantum conveniant, & quasi invicem se conectant; spe magna excitatus,
 R:m V:m M:m in solita erga me fiducia perstituram, hac pulcerrima
 occasione, quam Sveci nobis dederunt, ad commodum nostrum u-
 ti volui, ad minimum res nostras eo in loco mature collocaturus,
 ut isti minas suas in actum deducere non valeant, verum potius, si
 fieri possit, bellum in hostili regione, & extra fines regni, geratur.

A 2

Sane

Sane ex multis signis colligere licet, manu Dei hæc misceri, siquidem Sveci talem occasionem, quam solícite alioquin quæreremus, avulsa recuperandi (ad quæ nomine V:æ M:is me jurejurando obstrinxi, quæ V:a M:as suo quoque juramento deinceps confirmavit,) quasi ultro obtrudunt, & in manus nobis tradunt. Janiscæ, ut supra.

Lit. C.

Prompte quoque ac benevole Sacra Regia Majestas impertiri voluit domino Ablegato tale, quale desideravit, novum diploma pro conquirendis actis publicis ex archivis regiis Polonicis, si quid eorum adhuc in Svecia poterit reperiri, adjecta expressa mentione bibliothecæ Regiæ, prout eidem nunc quoq; extradita sunt quædam scriptorum volumina, quæ hic in archivo Regio hætenus aliquo tempore, ignara Sacra Regia Majestate, ejusque ministris insciis, delituerunt, nec antea cum reliquis actis eam ob causam extradi potuerant, quod in itinere navi, qua vehabantur, ad Oelandiæ littora vi tempestatis fracta, in ea insula aliquandiu remanserunt, nec ante, quam post extradita illa acta priora, quæ olim ex archivo hocce Regio depromebantur, huc pervenerunt. Mandata quoq; regia ad privatos quosdam in specie Dn. Ablegato impertita sunt, quibus iisdem serio imperatur, ne quid librorum apud se retineant, quos ad mentem pactorum restitui oporteat, regioque præterea bibliothecario pariter fuit injunctum, ut perquam exacte Sacræ Regiæ Majestatis bibliothecam denuo perlustraret, eidemque eximeret libros, quotcunq; videri possent in bibliothecæ Regiæ Polonicæ parte quondam fuisse. Is igitur jussa exsequutus, catalogum ejusmodi librorum, quos deprehendisset, exhibuit, de quibus etsi certo non constet, utrum navi primo in bello huc delati sint, an alia potius occasione, prout conjectura est, & quidem olim ab ipso Rege Sigismundo hic in Svecia relictis, in iis tamen extradendis

dendis bibliothecarium suum cessare noluit S:a R:a Majestas, malu-
itq; in hoc fidei suæ abundantis existere testimonium, quam ut
quidquam desit, quod ad implenda pacta desiderari queat. Holmiæ
1682 d. 19 Julij.

Lit. D.

*Responsio ad Galetscium, Senatorem Polonia, nomine Augusti Re-
gis ad Regem Sveciæ missum.*

Cum Exell:a V:a tum apud S:m R:m Majestatem, Regem ac
Dnum nostrum clementissimum, tum in congressu nobiscum
testatum fecerit, nihil magis in votis esse S:a R:a M:ti ac Reip.
Polonæ, quam cum vicinis Regibus ac Principibus bonam a-
micitiam & vicinitatem colere & observare, præsertim cum S:a R:a
Ma:te Sveciæ, cum qua non tantum pax pactaq; æviterna Reip. Po-
lonæ, verum etjam stricta cognationis jura, potentissimo Regi Po-
loniæ intercedunt, simulq; ab Exell:a V:a indicatum sit, tria ipsi po-
tissimum commissa esse negotia hic expedienda, quorum primum
concernit pactorum ac fœderum Olivenisium mutuam confirmatio-
nem: secundum ortam inter Sa:m R:m Maj:m Poloniæ & Electorem
Brandenburgicum litem circa negocium Elbingense, & tertium civi-
tatis Thoruniensis desideria pro consequenda solutione ipsi debita.
Ad ea Exell:æ V:æ respondendum censuit S:a R:a M:as Sveciæ, gra-
tâ a se mente agnosci honorificam hanc & illustrem legationem a S:a
R:a M:te Poloniæ Exell:æ V:æ commissam factamq; per eam con-
testationem de sincera ac præstanti Regis ac Reipub:æ Polonicæ vo-
luntate colendi cum S:a R:a M:e Sveciæ amicitiam perpetuam fidam-
que viciniam, cui pari benevolentia candore omni ex parte respon-
dere sataget S: R:a M:is Sveciæ, tum publici boni amore ad prove-
henda utriusq; regni mutua emolumenta & commoda, tum ob in-
fitum erga S:m R:m M:m Poloniæ propinquæ cognationis affectum,
unde omnia sinceræ benevolentia officia, & optimæ voluntatis
affectus a S:a R:a M:te Sveciæ expectare sibiq; spondere poterit.

A 3

Quod

Quod in specie attinet ad tria illa negocia ab Excell: a V: a
 proposita, & quidem I: m desideratam confirmationem pactorum
 Olivenfium, S: a R: a M: tas Sveciæ non tam ad renovandam firman-
 damq; dictam pacificationem prono promptoq; fertur animo, sed
 & propensa est ad ineundas strictioris conjunctionis rationes pro
 majori regni utriusq; securitate, prout res tempusq; postulaverint,
 & quidem renovationis actum circa pacificationem Olivenfem, vel
 nunc statim expediri curasset, si ad hoc negocium perficiendum
 Excell: a V: a plena potestate fuisset munita: cum vero ea se destitui
 dixerit, S: a R: a M: tas Sveciæ ministro suo, in Polonia commoranti, ge-
 neralem locum tenenti, Baroni Mauritio Vellingio, ejusmodi reno-
 vationis actum jam hic adornatum transmittet, ut cum Polonico
 instrumento, in Conciliis instantibus, a Rep. rati habendo ibidem
 commutari possit. Dabitur & mandatum de perficiendo strictio-
 ris conjunctionis negotio, supra indigitato. Quod ad Elbingen-
 se negocium, S: a R: a M: s Sveciæ ortum cum Electore Brandeb. de eo
 dissidium sollicito prorsus intuetur animo, doletq; inter vicinos po-
 tentesq; Principes, quorum hætenus concordia publico bono ad-
 modum profuit, hæc esse subnata discordiarum semina, & quam-
 quam partium contentione lis ista in controversias sat graves vide-
 atur prolapsa, ad amicabilem tamen earundem compositionem o-
 peram ac studium omni meliori modo conferet S: a R: a M: s Sveciæ,
 magnopere exoptans ut quantocyus pristina inter disidentes redu-
 catur concordia, plurimum spei reponens in præclara S: æ R: æ M: s
 Poloniæ æquanimitate & moderatione, ne res ad extrema deve-
 niat. 3. m Quod concernit Thoruniensium sollicitationem, quando-
 quidem cum illis liquidatio jam facta est, S: æ R: æ M: ti Sveciæ curæ
 cordiq; erit idonea dispicere media, quibus, quamprimum id fieri
 poterit, debita illis satisfactio præstetur. De cætero uti Exel-
 l: æ V: persona & suscepta ab ea legatio S: æ R: æ M: ti admodum
 fuit grata; ita benevola propensione ei semper permanebit faven-
 tissima. Holmiæ d 29. Aprilis 1699. Vide.

Videantur ipsa pacta conventa, quibus promittit Rex, quod sine consensu Reipublicæ bella offensiva sumere, externa auxilia in Regnum adducere, exercitum Quartianorum aliosque exercitus augere, & privatas copias contrahere nolit. *Chwalkouscius de jure publ. regni Poloniae lib. 2. cap. 6. § 1.* Hinc Rex Poloniae inter alia pacta jurat se absque consensu reipublicæ, neque bella offensiva sumtuum, neque peregrinum militem in Regnum, aut Lithvaniam, introducturum, neque exercitum aucturum. Bella igitur in comitiis contra hostes publicantur. *Idem de fœderibus ita:* In capitulatione Reges promittunt, quod pacta & fœdera cum extraneis Principibus & Dominiis renovabunt, de conservanda cum iisdem pace studebunt, & amissa a corpore Reipublicæ recuperabunt. Pacta autem sunt vel antiqua, vel nova; ad illa renovanda sufficit consensus Senatorum ad latus residentium: ad hæc vero stabilienda robor comitiiorum requiritur. *Addatur Horiknoch de rep. Pol. lib. 2. Cap. 2. § 7.* Formula autem juramenti hæc est: Ego N. electus Rex Poloniae, (totus titulus hic exprimitur.) spondeo & sancte juro Deo omnipotenti ad hæc sancta Jesu Christi Evangelia, quod omnia jura, libertates, immunitates, privilegia publica & privata juri communi utriusq; gentis & libertatibus non contraria, &c. tum pacta per ordines Regni & magni Ducatus Lithuaniae mihi tradita manutenebo, observabo, custodiam & implebo in omnibus conditionibus, articulis & punctis in eisdem expressis. *& paulo post:* Omnia illicite a Regno magnoq; Ducatu Lithuaniae, & dominiis eorum, quocunque modo alienata, vel bello vel quovis alio modo distracta, ad proprietatem ejusdem regni Poloniae & magni ducatus Lithuaniae aggregabo. *Tandem:* Et si (quod absit.) in aliquibus juramentum violavero, nullam mihi incolæ Regni omniumq; dominiiorum uniuscujusq; gentis obedientiam præ-

stare

stare debebunt, imo ipso facto, eos ab omni fide, obedientia Re-
gi debita liberos facio, absolutionemq; nullam ab hoc meo jura-
mento a quoquam petam, nec ultro oblatam suscipiam. Sic me
Deus adjuvet, & hæc sancta Christi Evangelia.

Lit. F.

NOs itaque Senatores & equestris ordinis, a Serenissimo Rege
& Republica Polonia, lege comitali delegati commissarii, pro-
mittimus, & recipimus, vi potestatis nobis à Republica con-
cessæ, nomine ejusdem nos omnia & singula capita pactis su-
prascriptis comprehensa, juxta constitutionem regni, anni millesimi
sexcentissimi quinquagesimi noni, approbare & ratihabere, sicuti vi-
gore quoq; præsentium approbamus & ratihabemus; nec passuros
ab ullis regni Polonia magniq; ducatus Lithuania statibus, vassallis,
officialibus ac subditis, ullo modo violari. Cavemusq; & promit-
timus diplomata ratificationis hujus pacis, tam S:æ R:æ Majestatis
quam hoc nostrum, in proximis comitiis regni generalibus consti-
tutionibus & volumini legum nostrarum insertum iri. datum Var-
savia, die vigesima sexta Junii Anno 1660. *Sequuntur nomina Comissa-
riorum. Pacta autem Olivenfia, eorumq; ratihabitio, constitutionibus regni Poloni-
ci inserta sunt, sequenti anno 1661. vide Hartknoch de republica Polon. lib. 1. cap.
8. §. 4.*

Lit. G.

Exprimunt hanc legem Maximilianus Fedro, Palatinus Podoliae, in historia Hen-
rici Valesii, pag. 230. Piascius Chron. ad annum 1631, in initio. Ca-
simirus Zawadscius historia arcana, lib. 4. pag. 226.

Lit. H.

CHwalkouscius d. lib. 8. §. 2: Per constitutionem 1588. cautum
est, ut hæc potestas cum notitia Senatorum præprimis ad aulã
præsentium exerceretur. Hodie idem jus Regi convenit, nisi
de foederibus, bello aut pace, aliisq; rebus Rempublicam con-
cernen-

cernentibus tractandum veniat. Nam de his prius in comitiis deliberatur. *De fœderibus Zawadsciis d. l. pag. 225.* Ea iniri, insciis reipublicæ ordinibus, ad quos vetus regni consuetudo, receptus mos, fundatæ longa praxi leges, ipsa deniq; legibus ad libertatem prove-cta reipublicæ natura, cuncta negocia referri iussit, libertatis exitio propius est, quam auxilio.

Lit. I.

Rimbertus, qui Diaconus primum, & deinde Archiepiscopus Hamburgensium fuit, vixitq; seculo nono, in vita S. Ansgarii cap. 27. de Carlandis hæc memorie prodit: Gens quædam ab eis longe posita, vocata Chori, Sveonum principatui olim subiecta fuerat, sed jam tunc diu erat, quod rebellando eis subijci dedignabatur. *Deinde, narrata Danorum clade, addit: quod audiens prædictus Rex Oleph (Olaus ejus nominis secundus) populusq; Sveonum, volentes sibi nomen acquirere, quod facere possent, quæ Dani non fecerant, & quia sibi etjam antea subiecti fuerant, innumerabili congregato exercitu, illas adierunt partes, & primo quidem improvise ad quandam urbem Regni ipsorum vocatam Seeburg, in qua erant septem millia pugnatorum, devenientes, penitus illam vastando succenderunt. Exinde confortati animo, dimissis navibus, iter quinque dierum arripientes, ad aliam urbem ipsorum, quæ Appulia dicebatur, effero corde properabant. Erant autem in illa urbe quindecim millia bellatorum. Post gravem oppugnationem his legibus deditioem faciunt Curones. Primo quidem quicquid ex spoliis Danorum, præterito anno, in auro & armis acquisivimus, vobis pro munere fœderis damus. Deinde pro unoquoque hominum in hac urbe constitutorum dimidiam libram argenti offerimus; & insuper censum, quem antea solebamus vobis dare, persolvemus, & datis obsidibus, abhinc subiecti & obaudientes, sicuti antea fuimus, vestro imperio esse volumus. Hucusq; Rimbertus. Confirmat hæc Adamus, Bremensis canonicus, qui circa finem seculi undecimi floruit. Sed & aliæ interius sunt insulae, inquit, quæ subjacent Sveonum imperio, quarum*

B

rum



rum maxima est illa, quæ Curland dicitur: iter octo dierum habens. Hanc insulam in vita S. Ansgarii Chori nominatam credimus, quam tunc Sveones tributo subjecerunt. Præterea recitatum est nobis alias plures insulas, in eodem ponto esse, quarum una grandis Estland dicitur, non minor illa, de qua prius dixi. *Sub Curonia etiam Livoniam comprehensam fuisse amplitudo provincie, quæ octo dierum itinere constitisse dicitur, evincit, attestante idem Hartknochio in dissertatione de republica Curonorum, §. 4. Apud Snorronem Sturlonidem, natione Islandum, qui anno 1241. in patria sua occisus est, Ingegerdis ad patrem suum Olavum tertium, Regem Svionum, cognomine skotkonung, ita loquitur: Proinde si meo consilio res agenda foret, svaderem, ut misso hoc, quod in Norvegiam competit, jure, in orientales regiones arma transferres, regnaq; illa recuperares, quæ olim prisca tenuerant Sveonum Reges, non vero ita pridem Styrbernus, cognatus noster, subjugaverat. Ad eundem Regem Thorgnyrus, legifer Uplandie, hæc verba facit: Thorgnyrus, avus meus, frequenti sermone recoluit res gestas Erici Eimundi, Upsaliensium Regis, quod in vigore ætatis constitutus, varias expeditiones fecerit, & quotannis clasibus suis peregre profectus, Finladiam, Careliam, Æstoniam, Curlandiamq; ac qua late in orientem regiones patent, in potestatem suam redegerit: cujus virtutis præclara adhuc exstant monumenta, castella, arcesq; eximii operis. Part. 7. cap. 81. Petrus Bertius in commentariis rerum Germanic: lib. I. cap. 24. Cæterum sinus Venedicus, cum magna parte mediterraneæ regionis, quæ hodie Prussia est, nec non Livonia univèrsa, quæ olim fuit Gothiæ orientalis, usq; ad Narvam fluvium, qui in sinum exit Venedicum, hodie militiæ Teutonicæ paret. Et sane colonos istius provincie olim sub imperio fuisse Svetico, testantur Abbatis Padenfis literæ, quibus fatetur se anno domini 1345, feria quarta post dominicam Cantate, rite & rationabiliter vendidisse Rogon juris Svetici insulam. Et profecto ita esse lingua Svedica, qua non tantum insulares in Dagbo, Ormsö, Nuko, Vrangö, Rogo utraq; Runo, inq; plerisq; Oesilia locis, verum & maritimi in continenti utuntur, arguit: hosq; esse*

constat reliquias coloniarum, quæ priscis temporibus, cum ante Germanorum Danorumq; irruptiones hæ provincie Regno Sveciæ tributariæ fuissent, huc traductæ sunt. Quod longe pluribus testimoniis in peculiari tractatu, de antiquo Svionum in Livonia imperio, demonstrabitur.

Lit. L.

Auctor anonymus, qui tamen putatur fuisse Hermannus Helderungus, in analibus Livonicis ad annum 1190 hæc rem ita narrat: jam tunc idem Episcopus Meinardus cum Duce Sveciæ, Teutonicis & Gothis, Curones bello adierat: sed tempestate depulsi, Vironiam, Æstoniæ provinciam applicant, & triduo terram vastant. Sed dum Virones de fide recipienda tractarent, Dux, accepto potius tributo, ab eis vela sustollens, divertit in molestiam Teutonicorum.

Lit. M.

Idem ad annum 1220 expeditionem Johannis, Regis Sveciæ, qua Viciam occupavit, refert.

Lit. N.

Diplomate Caroli Quinti Bruxellis 1553 d. 27 Junii dato, cui aurea bulla appensa, jubentur Livoni, cum periculum ex armis Moscoviticis, sicut metus erat, ingrueret, Regis Sveciæ, ut inter illos, quibus progressus Moscovitarum quam maxime suspectus esse debebat, auxilium tutelamq; implorare. Alteris item literis 1556, Gandavi scriptis, Livoniæ tutela Regibus Regnoq; Sveciæ defertur. Ferdinandus Cæsar, missis ad Gustavum Regem literis, Viennæ 1558 die 25 Julii scriptis, prolixè ei Magistrum equitum, Furstenbergium, & oppressam Livoniam, commendat. Addi his potest conventio Cæsarem Maximilianum inter & Johannem Regem in membranis perscripta: item variæ illius ad hunc literæ pro Rigensium subsidio, ut 1575 d. 20 Octobris, & 1579 d. 30 Octobris.

Lit. O.

Nos infra scripti serenissimi potentissimiq; Principis ac Domini, Erici decimi quarti, Svecorum, Gothorum atq; Vandalorum Regis, Domini nostri clementissimi, deputati plenipo-

B 2

ten;

tentarii & legati, Claudius Christierni in Amine, Johannes Laurentii in Iffenes, & Hermannus Bruferus, confitemur, testatumq; volumus, hisce patentibus a nobis signatis literis, omnibus ac singulis, cujus-
 cunq; dignitatis, conditionis aut status, quibus eadem inspiciendæ,
 attendendæ & legendæ occurrunt, aut offeruntur: cum regiones Livo-
 niæ, direptionibus, latrociniis atq; incendiis, abreptâ incolarum multi-
 tudine, aliisq; calamitatibus a Mosco, crudeli ac cruento universi
 Christiani orbis hoste, jam quartum usq; annum, gravissime & mi-
 ferrime afflictæ atq; exagitatae fuerint; atq; ab eo usq; tempore
 hætenus, sicut & nunc, a suo quisq; domicilio fugatus, in exilio vi-
 tam trahere compulsus sit, adeo, ut loca ista omni auxilio denudata
 prorsus relicta jacuerint: Jam vero spectabiles, consulti & jurispe-
 riti domini, perquam dilecti amici nostri, consules, senatores & cives
 urbis Revaliensis, quo præveniant excidium suum atq; everfionem
 ultimam, superius memoratæ S:æ Ma:tis consilium, solatium atq; au-
 xilium per deputatos legatos suos, submississime imploraverint ac
 petierint; atq; ideo summe memorata S: R:a Ma:tas misericordiæ
 Christianæ instinctu, pro affectu suo atque animo erga ipsos semper
 benevolo, in honorem omnipotentis Dei, atq; cultum sanctissimo-
 rum præceptorum ipsius, ad conservandam, promovendam propa-
 gandamq; veram, salvificam, puram & incorruptam verbi divini do-
 ctinam, tum ad avertendam, quæ subito metueretur, harum terra-
 rum pessundationem cum universi Christiani orbis inde anxii com-
 modo, non modo prædictis dominis consulibus senatoribus, civi-
 bus & incolis civitatis Revaliensis, sed etjam toti huic provinciæ,
 clementissimam & benignissimam sese præstiterit, inprimis reputans,
 quantum periculi exinde crearetur non modo Sacræ Regiæ Majesta-
 ti atq; cæteris Principibus finitimis, verum etiam universo Christia-
 norum cætui, si urbs Revalia, quippe propugnaculum unicum istis
 in regionibus, cum districtibus Harrico, Wierlandico, & Jervico, in
 hostis sævisissimi potestatem veniret, & sub dominio ipsius persistere
 cogere-

cogeretur. a cuius tyrannide nondum vindicati sunt; iidem autem quo decenter & modestia convenienti S:æ R:æ Maj:ti domino nostro clementissimo, subjicerent se, Reverendissimo Principi ac domino, domino Gothardo, Magistro Livoniæ, per legatos suos officiosissime in mentem revocaverint, quam misere ab ipso, utpote magistratu suo legitimo, jam quartum usq; annum, omni auxilio & subsidio destituti, periculisq; expositi prorsus fuissent, quodq; ne tum quidem firma ac præsens vindicatio aut liberatio ab ipso Principe expectanda esset, insuper denunciantes, qua cum necessitate extrema conflictarentur, propter quam ipsis necessum foret, quærere præfidia alia & levamenta, eaq; ratione Principi ipsi præstitum ante juramentum & homagium renunciari ac tolli curaverint atq; vicissim una cum spectabili & consulto senatu, civibus atq; incolis civitatis Revaliensis S:æ R:æ Maj:ti Sveciæ, domino nostro clementissimo, sese addixerint, atq; ut subditos dilectos ac fidos sese submiserint subjecerintq;: Ea propter nos ante memorati S:æ R:æ Maj:tis plenam potentiam & causam gerentes legati, S:æ R:æ Maj:tis nomine, senatores, equites omnes & nobiles districtus Harriçi, Wirlandici & Jervici, una cum spectabili senatu, universo cœtu, & incolis civitatis Revaliensis, postquam rite jam præstitissent juramentum obsequii & fidei, singulos atq; omnes, in tutelam & protectionem S:æ R:æ M:tis suscepimus. Idq; hisce & vi literarum præsentium quam firmissime, ac fieri unquam ejusmodi potest, ratum habemus, facimus & absolvimus. *Sequuntur articuli conventionis, qua privilegia eorum confirmantur.* Præterea nos, sæpius nominato senatui, nobilibus & equestri ordini, Harriam, Virriam & Jerviam incolentibus, promittimus & spondemus, quod a S:a R:a Ma:te, domino nostro clementissimo, & senatu Regni Svecici plenariam ratificationem horum pactorum procurare velimus, atq; ut feuda sua a S:â R:â M:te aut Governatore, quam primum advenerit, accepturi sint. In majorem fidem & robur hæc inter nos conventa manuum nostrarum subscriptione & sigillis confirmamus. Revaliæ 1561 d, 4 Junii, Con.

NOs Ericus XIV Dei gratiâ, Svecorum, Gothorum & Vandalorum Rex &c. Quandoquidem ditones Livoniæ invationibus, latrociniis & exustionibus, depopulationibusq; a magno Moscoviæ Duce, miserrime ac pessime per quatuor fere annos vexatæ, devastatæ atq; pessundatæ fuerint, adeo, ut omnes propemodum nobiles suis evacuati & privati bonis, in statum miserrimum inciderint, atq; jam postea equites ac nobiles districtus Harrici, Wirlandici & Jervici, quos magnus Dux in suam nondum redegit potestatem, una cum civitate Revaliensi, in angustiis illis atq; ærumnis suis deserti a magistratu suo, Magistro teutonici ordinis in Livonia, ipsius nempe & aliorum ope privati, ut vindicarem, auxilium ferremus & liberarem, implorarunt, atq; ut in numerum subditorum nostrorum reciperentur, desideraverunt: idcirco firmis validisq; nitentes rationibus, per commissarios spectabiles & honestos, Claudium Christierni, Johannem Laurentii & Hermannum Bruserum, equites, nobiles, atq; incolas districtus Harrici, & Jervensis, eosq; quos, in Wirlandiâ jugo suo nondum penitus submitit Moscus, in tutelam & fidem nostram, atque in subditorum nostrorum & dilectorum fidorum numerum, præstito homagio, referri & suscipi iussimus: eosq; vi præsentium harum literarum patentium suscipimus, & promissa a commissariis nostris, confirmationemq; veterum privilegiorum consuetudinum sequenti modo rati habemus. &c. Norcopiæ die 2. Augusti anno 1561.

Lit. P.

Vid: Grotius de Jure Bel. & Pac. lib. 3. cap. 9. § 13.

Lit. Q.

Plassecius chron. ad annum 1600 p. 221. Georgius enim Farensbach, Carolo Duce cum suis armis in Æstoniâ adveniente, & Revaliam ac omnia, quæ eousq; in possessione Svetica censebantur, occupante, cum solum fines Livoniæ Polonicæ, ne quid damni

a Ca-

a Carolo Duce paterentur, tueri debuisset, in Æstioniam irrupit, & Caroli copias sæpe velitationibus lacesivit. Ac cum ille ad ipsum misisset sciscitatum, cujus iussu ea faceret, & num ab ordinibus Regni Poloniæ pactorum securitas, an hostile quid expectandum sibi esset, Farenbach ejus legatum detinuit, & in Poloniam ad Regem misit. Unde Carolus, cum responsum non haberet, & in dies Farenbachum graviora minitari sentiret, publico ordinum Poloniæ nomine ea fieri, ac non nisi infesta in suis ditionibus eorum arma expectanda sibi arbitratus, priusquam majores copiæ ex Polonia confluerent, prævenire, belloq; futuro sedem in alieno solo figere maluit, moxq; ingressus in Livoniam, Parnaviam, & plura loca munitiora interceptit.

Lit. R.

Videatur Fridericus Menius prodromo histor. Livon. §. 60. Addatur Loccenius hist. Svec. lib. 8. pag. 442. Livoni vero præter sævam famem, etjam, quæ eam comitari solet, peste conflictati, hinc à Svedis, inde à Polonis bello insuper impetebantur, nunc in illas, nunc in has partes propendentibus. Tandem, arrepto five necessitatis, five desperationis telo, quod eorum sacerdotes à Polonis eiciebantur, templa destruebantur, sacrorum libertas adimebatur, & pontificia religio illis obrudebatur, consilium à Polonis desciscendi ceperunt, mentibus jam satis alienati ab eis. Hinc Svedis non minus ferme, quam à propriis viribus, in Livonia robur, nec minor fortuna accessit.

Lit. S.

Induciæ constitutæ erant ab anno 1618 die 19 Novembris ad annum 1620. Gustavus autem Rigam 1621 in Augusto aggressus est. Antea tamen Jacobus Delagardius Chodcevicium de longioribus induciis, aut pace, monuit, literis Revaliæ 1619 die 12 Octobris scriptis; & cum nihil efficeret, bellum die 28 Martii 1621 iterum denunciavit.

Lit. T.

§. 1.

Si Serenissimus Rex Poloniæ in libera electione futuri successoris, aut post ejus mortem, maxima pars senatus itidem in prædicta libe-

libera electione futuri Regis Poloniae, aut plenaria ejus instauratione, ab extranea quavis potentia, armata manu turbaretur, aut impediretur, atque propterea necessarium judicaret, opem amicorum implorare, eandemq; a serenissimis Regibus expetere, Serenissimus Rex Sveciae, vigore praesentium se obligat & promittit, spatio quatuor mensium, post requisitionem factam, mittere in Poloniam exercitum sex millium equitum, & sex millium peditum, ad Polonorum optionem, cum convenientibus tormentis & necessariis requisitis bellicis, sub proprio Generali, qui facta cum serenissimi Regis, aut post ejus decessum, cum Reip. Poloniae copiis conjunctione, expeditionem cum iis simul, contra quemcunq; invasorem, copiarum auxiliarium titulo, eum in modum suscipiet, prout ratione loci & circumstantiarum cum Polonis convenietur.

Lit. U.

V Id. Chytrai chronicon ad annum 1582 & sequentes. Neugebauer hist. Pol. lib. 10. Sed imprimis Laurentius Mullerus, qui Duci Curlandiae ab epistolis erat, in vita Stephani Regis Poloniae; item oratio Johannis Tisenbusii ad ordines Livoniae & Rigenses, Anno 1601, habita.

Lit. V.

A Rrticulus octavus pacti inter Sigismundum Augustum, Regem Poloniae, & Kettlerum, postea Ducem Curlandiae: Primum, & ante omnia, arcem & civitatem Rigensem, cum omni, quod in ea antiquitus obtinuit in re, dominio & proprietate, meroq; & mixto imperio, apud Imperatores Romanos obtento, de quo nobis illustritas ejus condescendit, illudq; nobis resignavit, prout praesentibus resignat, cedit, & condescendit, & ab homagio, quo civitas illa Rigensis illustritati suae tenebatur, absolvit, absolvereq; & renunciare coram legato nostro in civitatem Rigensem per nos ablegando publice, tum & patentibus literis suis, etiam si civitas illa ei rei adversari velit, aut quomodo reclamet, & ab ipso homagio liberos facere; nec non omnia diplomata, ab Imperatoribus Romanis super ea re obtenta, nobis tradere tenebitur.

Lit. X.

Litera responsoriae Caroli XI, Regis Sveciae, ad Regem Poloniae, d. 19 Julii, 1682. Redditae nobis sunt Majestatis Vestrae literae, Warsaviae datae, die 6 mensis Maij, anni proximè præterlapsi, quibus desiderat Ma:tas Vestra nostram percipere mentem, super instituenda limitatione Svecicae Polonicaeque Livoniae ex pactis Olivenfisibus debita. Equidem hujus negotii quam non fuerimus immemores, quamq; subinde ad Majestatis Vestrae prædecisionem, temporibus præterlapsis, per nostros, qui ad aulam Polonicam missi fuerant, ministros, de perficiendo eo injecta fuerit mentio, Majestati Vestrae compertum non dubitamus, ortâ nec aliunde dilatione, quam quod Polonia inter bella vel turbas districta, parum opportuna visa fuit dicti negotii commemoratio. Cæterum cum propensi omnino sumus, ad quævis ea, quæ vel pactorum fides, vel firmandæ nos inter & Ma:tem vestram amicitiaë exigat ratio, requisitioni Majestatis Vestrae, circa negocium indigitatum, non defuturi, mandavimus nostro senatori, per Livoniam Gubernatori Generali, ac campi Mareschallo, domino Christierno Horn, ut quam primum intellexerit à parte Poloniae ad id obeundum negotium constitutos esse commissarios, & ipse deligat viros idoneos, qui de præliminaribus, cæterisq; præparatoriis ad futuram dilimitationis complanationem necessariis, mutua conventionione fungantur, cum censeamus non alibi quam in locis finitimus id æq; commode fieri posse, quod rerum indoles postulare videbitur. De cætero Ma:ti Vestrae prosperos rerum successus amicissimo affectu precamur &c.

CAROLUS.

Lit. Y.

Conventio legatorum Ducis Curlandiae, Christophori Firks & Caspavi Drelhagi, cum Axelio Oxenstierna d. 7 Junii, Anno 1630.

§. I.

NOva Munda, vi Prutenicorum pactorum, & præsentis conventionis, habebit, ac retinebit hoc sexennialium induciarum tempore, quidquid intra Bulderaviam fluvium & falsum mare concluditur, eundo à Nova Munda in Dunam, per eandem Bulderaviam, eamq;

C

ad-

ascendendo usq; ad fluvium Schlokenbäk, ubi munitio prædiaria sive propugnaculum cum molendino fuit, cum utriusq; ripæ fluvii istius usu, hinc ascendendo usq; ad extremos terminos, quibus pagus Clavern à cæteris pagis præfecturæ Tuckheimen secernitur, eosq; fines ulterius sequendo in ipsum Oceanum usq;, quidquid horum terminorum ambitu concluditur, Novæ Munda cohærebit. §. 2. Similiter Spilva, ut in possessione S:æ R:æ Majestatis Sveciæ hætenus fuit, sic Rigam ulterius sequatur. §. 3. Præfectura Dalensis juxta terminos antiquos, cum omnibus & singulis, quæ eorum ambitu continentur, obstacula quoq; Salmonum, nec non bona nobilis & spectabilis quondam Joannis Friderici, proconsulis Rigenfis, ad præfecturam Baldunensem spectantia, hætenus sub potestate S:æ R:æ M:ris Sveciæ possessa, una cum terris, quæ intra illa bona sunt, nunc quoq; in manu & potestate ejus permanebunt.

Lit. Z.

PActa Stumsdorfsium iuduciarum Anno 1635. §. 6. In Livonia utraq; pars, ut præteritis sexennialibus induciis possedit, ita hisce quoque possideat. *Instrumentum pacis Olivenfis* §. 4. Serenissimus Rex & status ordinesq; Regni Poloniæ, magniq; ducatus Lithuanicæ, a modo & in perpetuum cedunt vi hujus pacificationis Serenissimo Regi Sveciæ, ejusq; successoribus Regibus, Regnoq; Sveciæ, omnem illam Livoniam Transdunanam, quam Svecia hætenus per tempus induciarum tenuit & possedit, ut & partes Cisdunanas omnes, & insulam Runen in mari sitam, quas per idem tempus induciarum Svecia tenuit & possedit; nec non quicquid juris Regibus & Reipublicæ Poloniæ in Estoniam & Oesiliam hætenus ullo modo competere poterat. Atq; hæc quidem omnia & singula, cum omnibus suis pertinentiis terrestribus, & maritimis, urbibus, arcibus, propugnaculis, bonis & proventibus, nec non juribus, jurisdictionibus, regalibus & superioritatibus, tam in ecclesiasticis, quam politicis, nullis penitus exceptis, in plenum dominium & proprietatem Regum Regniq; Sveciæ transferunt; Ordinesq; & subditos in illa Livonia ejusq; recensitis partibus, omni erga Regem & Rempublicam Polonam obedientiæ vinculo & fidelitatis sacramento exsolvunt, nihil nunquam in eos addictam Livoniam ejusq; pertinentias posthac prætensuri,

Magni ducatus Lithuaniae Illustribus generosisque Senatoribus, ut & iis qui publicis in eodem ducatu muneribus, dignitatibusque funguntur &c. nec non harum terrarum incolis cujuscunque dignationis & eminentiae, in universum omnibus, Ego Hieronymus Crispinus Kirstensteinius, praefati magni ducatus hypothecarius magnus, notariusque perillustis, praemisso officiorum devote fraternorum voto, notum testatumque facio, quod his ipsis electionis comitiis per illustre nuncium provincialem a sereniss. atque invictissima Regia Maestve Svedica ad nostram Rempublicam quaedam allata sit querela, quasi foedera & pacta Olivensia, jura item & consuetudines atque instituta vetera essent a nobis parum religiose servata; ea pacta scilicet, quae ad negociantium rationes pertineant, & mercium terras aquasque nostras pertranseuntium. Queruntur enim, vectigalia a se non solum per magni ducatus Lithuaniae publicanos, verum etiam per nonnullos alios Ordinis equitris nullo jure, sed eo duntaxat colore exigi, quasi Dzvino aliisque fluminibus nova quaedam, & ante haec inusitata portoria imposita sint. Quocirca partium esse mearum duxi ejusmodi confictas extorsiones, non modo non necessarias, sed etiam cum violatione almae pacis, pactis Olivae sancitae, conjunctas dehortari. Vos itaque, viri illustres, fraterne etiam rogo, auctoritateque officii moneo hortorque, ut ab id genus exactioibus, in quas prorsus nobis nihil competit juris, desistatis. Enim vero non lubens viderem, hanc eandem querelam, ab iis, qui injuria affecti sunt, ad S. R. M. & universae Reipublicae tribunal devolutam, per mandata ejusdem atque rescripta sublatum iri, atque decisum. Universos item magni hujus ducatus exactores vectigalium ejusdem mei officii auctoritate commoneo, atque cohortor, ne quid supra id, quod est transactione praesentis electionis, institutisque antiquis determinatum, ab ullo mercatore, ejusdemque mercibus, datis acceptisque liberi ab uno telonio ad alterum transitus literis, iterum postuletur capiaturque. Administratoribus igitur & exactoribus vectigalium ad prime diligens esto cura, ne quidquam cuiquam imponatur ultra id, quod olim in antiquis scripturae tabulis, circa modum vectigalium, eorum praecipue, quae regiae nunc mensae sustentandae destinatae sunt, definitum est. Tametsi haec posteriora vectigalia tempore non uno eodemque, ac reliqua constituta sint,

fint. Perinde etiam volo mercatorum iudicio relinquatur, arbitrioque, quantum hoc nomine solvere velint. Ita ut nec hoc, nec alio quovis prætextu quidquam ipsis extorquere fas sit, nec imò ipsos in instituto itinere, cursuque impedire: verum solutione plena in uno telonio rite facta, in altero sine ulla vexatione molestiave prorsus liber pateat transitus. Quod omne sancio sub severa ex decisione officii mei, ad cuiusvis relationem, secundum jus pœna. Dat. Warsaviæ die 14. mens. Julii, 1699.

Hieronymus Crispinus Kirstensteinius Mag.
Ducat. Lithuaniae Hypothecarius.

Universale Regis Poloniae concernens onera vectigalium.

Michael Dei gratia. &c. Omnibus ac singulis cujuscunque status vel conditionis, clericis æque ac secularibus, regionum & Provinciarum nostrarum, magni ducatus Lithuaniae incolis, præcipue episcopis, præsidibus, castellanis, dignitariis, iudicibus provincialibus, præfectis officialibusq; territoriorum & arcium Provinciarum nostrarum, Polokensis, Witebskensis & Miscislaviensis, ut & districtus Braclavici & Orszanici, cæterarumque ditionum ad Dunam, notum hisce facimus, quod tempore electionis felicis nostræ à serenissimo Rege atque incluto Regno Sueciæ huc missus Legatus præpotens, Claudius Tott, comes in Carleburg, baro in Sundby, dominus in Ekolfund & Lehala, senator coronæ Sueticæ, campimareschallus & generalis Livoniae gubernator, nomine Regis & coronæ Sueciæ, coram Senatoribus atque officialibus nostris coronæ Poloniae & magni ducatus Lithuaniae eo tempore ad conferendum cum ipso deputatis, non sine querelâ detulerit, quosdam subditorum in provinciis nostris, contra quam conventum est articulo 15. Olivenfis pacti, atque Anno 1661 à Republica integra confirmati foederis pacis, imposuisse recentia & inusitata vectigalia, mercatoresque Suecicos & Rigenses, ad fluvium Dunam, alibi que in regionibus campestribus, variis iniquis exactionibus atque exagitationibus vexasse. Id quod jam iterum, post coronationem felicissime peractam, ab eodem serenissimo Rege, regnoque Sueciæ delegatus, chiliarcha equestris, Carolus Arendorfus, primum coram nobis ipsis, atque deinceps pariter coram Senatoribus atque

offi-

officialibus tam coronæ quam magni ducatus Lithuaniae, ad colloquium cum ipso denominatis, repetiit. Quandoquidem igitur pacta nos inter & vicinos foederibusque junctos imperantes, exactissime atque firmissime custodienda merito judicamus: proinde serio hisce adhortamur omnes ac singulos subditos atque incolas magni ducatus Lithuaniae, cujuscunque conditionis, eos imprimis, quorum scire ea interest, ut à Republica confirmata pacta Olivensia rite observent, a privatis ejusmodi vectigalibus, aliisque vexationibus iniquis abstineant, iisque Suecicos ac Rigenses mercatores ulteris ne gravent. Cum vero etjam publicani a parte nostrâ, ubi nostri Reipublicæque ergo vectigalia exiguntur, ut relatam est, excedant justum, atque molestiis variis affligant mercatores peregrinos: idcirco hisce pariter requirimus à thesaurario Lithuaniae, ut officialibus suis gravissime injungat, ne minimum quicquam, ultra quam præscriptum est, oneris mercatoribus Suecis aut Rigensibus imponant, & si quid iniqui admisisse deprehenderit, eos absque morâ juste coerceant &c. Cracoviæ die 30 Novemb, 1669,

Michael Rex,
(L. S.)

Lit. B b.

Ex memoriali libello Svecici ministri, Nicolai Tungel, ad Regem Poloniae Johannem Casimirum, 1665, d. 19, Decembr.

§. 2.

Siquidem commercia debito modo per Livoniam florere non possunt, nisi, abrogata viliori monetâ, melior in ejus locum substitutatur, nec sufficit in Livonia hoc præstare, nisi etjam in Lithuania, cum qua præcipua ipsis sint commercia, idem fiat: desiderat proinde S. R. Majestas scire, annon placeat Majestati Vestræ & Ordinibus magni ducatus Lithuaniae consilia cum S. Majestate communicare pro determinanda aliqua specie melioris monetæ, ejusdem fortis ac valoris tam in Livonia, quam in Lithuania, posthac cudendæ. Hoc pacto magna incommoda & mala, non minus Lithuaniam, quam Livoniam nunc abunde prementia, optime posse extirpari, ac commercia debito vigori restitui, nullum est dubium.

C 3

Ex

Ex memoriali libello Caroli Arensdorffii ad Michaelem, Regem Poloniae, Cracovia 1699. die 2. Novemb.

DE re vero monetaria, absque quâ commercia ne institui quidem hoc tempore nedum florere possint, omnino despiciendum erit, ut conveniens aliquod adinveniat medium, quo tam salubre negotium poterit promoveri. Neque hic repetere opus est, quantum toti Poloniae damnum, detrimentumque praesens pecunia adferat; illud saltem nunc urgetur, ut secundum priora promissa domino Legato Tottio facta, tam Suecica moneta in Regno Poloniae, & magno ducatu Lithuaniae, quam Polonica moneta in Provinciis Sueticis, secundum valorem & pretium suum utenda recipiatur, nec minus integrum sit Sueticae nationi, quam aliis Regno Poloniae vicinis gentibus Polonica pecunia, pro mercibus Polonorum & Lithuanorum, uti. Tolle ergo necessum est omnia decreta in contrarium edita, quibus ejusmodi usus & exercitium monetae Polonicae Sueticis subditis provinciisque in redimendis mercibus huc usque prohibitum est. Nam frustra alias erit secundum tenorem pactorum Olivenfium commercia jubere esse libera, & usum monetae, quâ exercentur, interdicere. Neque ita difficulter processurum est hoc, circa monetam, negotium, si ad media & rationes a parte Sueciae monstratas & oblatas intimius placeat attendere, & adinvenietur fors expeditior adhuc via, si consilia super hac re porro communicare lubet, quod equidem spero, ut cum illi dominis deputatis de hisce pluribus conferre possim.

Lit Cc.

Pactum 1635. inter Suecos & Ducem Curlandiae.

§. 6.

Commercia tam subditis S. R. Majestatis, regniq; Sueciae nominatim Rigensibus, quam subditis Regis Regniq; Poloniae & magni ducatus Lithuaniae, cum Curlandis libera & concessa sint, itinera quoque peregrinantibus, viatoribus, mercatoribus & veredariis utriusq; partis, usq; ipsam civitatem Rigensem, qua civitate usque in & per ipsam Curlandiam, & Sengalliam, diocesimque Piltensem pateant, sique contigerit ullos gentis utriusque in Curlandiae, Sengalliae & Piltensis territoriis sibi obviare, pacate inter se ibi & tranquille agant, nec

nec fas sit sub pænâ supplicii vel ad arma venire, vel mercibus aut pecunia equisq; negotiantes spoliare.

Pactum inter eosdem 1647.

§. 5.

Commercia singulis utriusque Regni Sueciæ & Poloniæ, Magnique Ducatus Lithuanix, subditis cum Curlandiæ, libera & concessa sint, itinera quoq; peregrinantibus, viatoribus, & veredariis utriusq; partis pateant; sique contigerit ullos gentis utriusq; in dictis ducis territoriis sibi obuiare, pacate inter se & tranquille ibi agant, nec fas sit ad arma devenire, vel mercibus aut pecunia equisque negotiantes spoliare.

Lit. Dd.

Responsio Ducis Curlandiæ ad generalem Livoniæ gubernatorem, An. 1685. d. 16. Febr.

Ex hisce quamvis Excellentia Vestra intelligere possit, injustam esse Stenii querelam; nihilominus si ille testimonia adferre potuerit, violatum esse cursorem regium, jus æquum ei administrari lubenter clementerque curabimus.

Lit. Ee.

Articulus secundus pacti Altenoensis inter Serenissimum Daniæ Regem, & Ducem Holsatiæ.

Restituitur Serenissimus Dux in omnes suas ditiones, insulas & bona, in specie in prædium Gottesgabam, in supremum suum dominum (uulgo Souverainitat,) in regalia, jura collectarum, fæderum, fortalitiorum extruendorum & possidendorum prætereaq; in omnia illa jura, & emolumenta, quæ ante & post pacificationes Westphalicam & Boreales usque ad annum 1675. habuerat & possederat, & quæ Serenitati suæ, vigore pacis Gallicæ ad Fontem Bellaqueum, competere possunt; quæ quidem pacificationes hoc ipso denuo confirmantur, nec non Serenitatis suæ ministri, quique alias ad eandem pertinent, in eorum bona & capitalia.

Lit. Ff.

Cum literas Latinas credentiales summi ipsius Principis a domino consiliario intimo communicatas ad curialia, eâ formulâ, quâ inter coronam Sueciæ atq; Poloniæ fieri consuevit, haud exaratas



70 1131 24

(24)

ratas esse observatum fuerit, in primis quod S. R. Majestati non prædicatum Majestatis, ut fieri debuit, verum Serenitatis tantummodo tributum sit; ideo necessarium visum fuit Domino Consiliario in antecessum aperire, non easdem, alias autem decentes & ad institutum consuetudinis priscae conceptas literas credenciales recipi, & responsione in hac aulâ impertiri posse. Interea tamen S. R. Majestas benevolentiam suam erga domini Consilarii intimi Principalem summum declarare voluit, seq; propensam esse ad admittendum atque audiendum dominum Consiliarium intimum, futurâ Veneris die, hora tertia pomeridiana, pallio pullo vestitum, quâ dominum Consiliarium intimum introducendi mihi honos continget. Holmiæ d: 5. Oct. 1697.

G. Sparvenfelt.

Lit. Gg.

Ad Statum protocolli Dresdæ, 1700, die 5. Febr.

Uterioris declarationis ergo Suetico hac in aulâ præsentis Ministro Domino Baroni a Velling, hisce aperitur, inchoatum articulis conjunctionis & fœderis tractatum inter Majestatem Majestatem Poloniæ & Sueciæ, quousq; habitis colloquiis mutuoque datis propositionibus & declarationibus hætenus perductus fuit, jam in statu quo mansurum fore, eam ob causam, quod Regia Majestas Galliarum denunciaverit se desiderare, ut iis, quæ ipsum inter & Regiam Majestatem Poloniæ pangenda sub manibus sunt, fœderibus, Regia Majestas Sueciæ simul includatur, quod R. Majestas Poloniæ Electorque Saxoniarum usui communi convenientissimum atque utilissimum judicet; atque igitur, cum delineatio fœderis sancienti ex Galliâ nondum allata sit, donec ea huc perferatur, circa rem transigendam tam diu paululum subsistendum fore; qui tamen tractatus, quam primum ista proxime ex Galliâ expectata communicatio allata fuerit, illico resumitur, atque ad fundamentum & finem certum poterit deduci. Actum ut supra.

W. D. V. Beuchling.

Lit. Hh.

Vid. Examen causarum, quas copiarum Saxoniarum Dux improvisæ & subdolæ in Livoniam irruptioni prætexere, literisque suis divulgare voluit. 1700.

(25)

MC

di-
tri-
ef-
on-
ne
am
are
ni-
lia-
ro-

ni-
ar-
Ma-
da-
n in
gal-
Ma-
Ma-
que
di-
on-
am
um
ico
uci.

im-
que

ULB Halle 3
004 809 041


VDA7





h. 4513

EXAMPE
Copiarun
cantur, Dux
voniam irru

UM,
i vo.
in Li-
fuis

Vd
1137

